




BIBLIOTHECA

SCRIPTORUM LATINORUM

RECENTIORIS AETATIS

EDIDIT

JOSEPHUS FREY.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCII.

PAULI MANUTII

EPISTULAE SELECTAE

EDIDIT

MARTINUS FICKELSCHERER.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Ad edendas Pauli Manutii, bibliopolae Veneti clarissimi, epistulas adgredienti mihi non uidebatur dubium, quin uel maxima earum pars non tantum haberet oblectationis, ut dignae essent, quae his temporibus euoluerentur. Quae licet ad eloquentiam Ciceronianam proxime accedant, tamen, quae illius aetatis erat consuetudo, tantum uerborum copiam uel salutandi uel laudandi gratia in eos, ad quos epistulae dabantur, pleno quasi cornu effundunt, ut in summa uerborum ubertate ex exilitate rerum taedium nonnunquam obrepat legentibus. Eius rei culpa accidisse puto, ut etiam eae epistulae neglectae iacerent, quae etiam nunc eis, qui uel illorum temporum historiae uel latinitatis studiis nauant operam, non uereor ne sint iniucundae. Dico eas, quibus ipsius Manutii uita, natura humanissima moresque candidissimi, sincera ac non fucata in Deum pietas, infatigatum litterarum studium, labores et pro conseruanda retinendaque patris officina et pro tuenda Pontificum Romanorum auctoritate suscepti, illius cum aequalibus plurimis uel nobilissimo loco ortis uel litterarum laude maxime insignibus usus ac familiaritas cognoscantur et paene sub oculos subiciantur. Quas si ex obliuionis tenebris

reuocatas breuique uolumine comprehensas offeram, operae pretium me facturum non despero.

Hac in re ita mihi intellexi esse uersandum, ut ea editione, quae ipsius Manutii iudicio quam maxime recta et perpolita existimatur, pro archetypo uterer. Etenim cum ille in limanda oratione nunquam sibi satisfecerit, epistulas, quotiescunque prelo erat subiecturus, non solum recensebat, sed etiam aliquot locis corrigebat. Quod idem quia ante eam editionem, quam paullo prius, quam uita decederet, excudendam curauit, se facturum et per litteras Aldo filio promiserat et perfecit, eius libri dignitatem summam esse iudicauerim.[1] Sed quid quibus locis censuerit immutandum, eorum exemplo, qui ueterum Graecorum Romanorumque libros sibi proponunt edendos, singillatim quam religiosissime afferre uix opus esse opinor, praesertim cum fere nunquam tanta sit correctionis uis et grauitas, ut diuersa admodum sententia euadat.

Hoc solum deberi legentibus mihi persuasi, ut et partes quasdam epistularum et nomina quaedam in primis editionibus posita, postea suppressa, restituerem. Quibus enim uel propter mutatos mores uel propter denegatam Pontifici Romano oboedientiam amicitiam renuntiauerat, eorum nomina, ne quando sibi essent pudori, si posthac in epistulis suis scripta legerentur, omittere constituit asteriscis in eorum locum substitutis.

In duodecimi libri epistulis post mortem patris ab Aldo filio adiectis auctoritatem secutus sum editionis earum principis, quae anno 1580 Venetiis in lucem prodiit.

Praeter has, quas commemoraui, epistulas, tres recepi, quae apud Krausium in appendice inueniuntur

1) Hanc quidem editionem Io. Theophilus Krausius, quamquam plurimum studii in P. Manutii epistulas eum impendisse ex ipsius editione (Lipsiae 1720), omnium optima ac locupletissima, cognoscitur, ipse non inspexit.

[II, LXIV, LXXIII]. Quattuor alias Antonii Augustini Renuardi Parisini annalibus Aldinis [IV, V] et epistulis Manutianis anno 1834 editis [VI, IX] acceptas refero.

Ipsius autem Manutii uerba ita sequenda existimaui, ut scribendi rationem eius, ubi a nostra aliquantum discrepat, tamen quam diligentissime retinerem. Non dico de eis uerbis, quorum uera ac genuina forma ne nunc quidem in omnibus libris scripta legitur: hoc peculiare est illius, ut coniungere soleat uoculas quasdam, quae a nobis separantur, ueluti 'idest' 'quam' cum superlatiuo, alias dirimat ab antecedenti, uerbi causa 'ue' et 'ne' interrogatiuum. Singula autem enuntiata quod modo a maiuscula ordiuntur littera, modo a minuscula, hoc ideo uidetur fecisse Manutius, ut aut in eadem re se pergere aut ad aliam significaret se uenire. Maiuscula enim tum fere utitur, cum nos puncto posito eandem lineam, etiamsi satis spatii suppetit, non ad finem perscribimus, sed incipimus ab insequenti. Denique illud uix uereor ne in reprehensiones incurrat, quod interpungendi rationem Manutianam reieci, quippe qua propter signorum abundantiam legentium commodis ita non seruiatur, ut interdum officiatur nosque eandem periodum denuo remeare cogamur.

Ac ne hoc quidem improbaueris, quod pristinum usitatumque epistularum ordinem non seruaui, sed ita eas in temporum ordinem offero redactas, ut suam ipse Manutius uitam deinceps enarrare uideatur. Qua in re ea occurrebat difficultas, quod ille non solum idem facere neglexit, id quod e numeris eius a me in titulis appositis apparet, sed etiam saepe ne annum quidem aut diem, quo quidque conscripsisset, adnotauerat. Accuratius igitur inquirendum erat, quo tempore unamquamque epistulam compositam iudicaremus. Qua uia etsi Krausius iam me praecessit, qui fere omnium epistularum tempora definierit, tamen quibus quoque loco adductus causis annum apposuerit, nisi

in commentario ad tres priores libros adiecto scriptum non reliquit. Quamquam non reticuerim in quibusdam epistulis etiam nunc locum relinqui dubitationi, de aliarum tempore inuestigando spem omnino esse abiciendam. Ubi autem annus certis indiciis reperiri potuit atque coniecturis, uncis inclusum eum adscripsi.

M. F.

Addenda et corrigenda:

Pag. 2, adn. 2: lege: adiect*a*
„ 7, 14: Manutio scribendum erat: front*em*
„ 8, 3: scribi malim: tuae.
„ 91, 3 lege: incommoda
„ 132, adn. 3: adice: (3).

I.

Vido Lolgio Placentiam (II, 28).

Paulus Manutius, cum nimius esset in litterarum studiis, adulescens septendecim annorum in grauem morbum inciderat, quo per biennium conflictatus est (uide ep. XIII). cuius reliquias ut prorsus depelleret, ad aquas Lucenses profectus est.

Paullo ante dederam ad te litteras, quas coniecturá dierum putabam tibi iam esse redditas: hae nunc alterae consequentur. scripsi te absente me cessare in litteris et omnino tuam operam tuamque illam in meis rebus officiosissimam sedulitatem uehementer requirere; sed meum consilium esse, te istinc ne prius commoueres, quam ego alicubi consedissem. id ego uolebam scilicet inuitus, qui te socium et administrum meorum studiorum summe desidero. sed uolebam tamen tui commodi caussa: primum, quod hanc equitandi iactationem, quae me quidem delectat, tibi, otii cupido, suspicabar non placere; deinde, quod, si accidisset, ut istas regiones peteremus, quod post balnea facturi videbamur, intelligebam fore, ut adire commodius ad me posses interuallo minore. nunc audi, cur sententiam mutauerim. Cardinali nostro, cui nimium saepe calculus molestus est, multis iam remediis frustra tentatis accedere nunc ad aquas Lucenses ualetudinis caussa deliberatum est, nosque, ut scis, idem cogitamus. iis aquis qui uti uolunt, id maxime spectant, ut sicco tempore utantur. haec est quasi

---

27 'haec est quasi methodus quaedam'. ante 1573 in editionibus legebatur: hic est quasi methodus quidam.

methodus quaedam, quam seruantibus salubres dicuntur esse: permistae cum imbribus putrescunt, graui periculo bibentium. nos porro, o Lolge, qui didicimus a philosophis bonam ualetudinem expetere sapientis esse, ualde in hac quidem parte sapimus et, ut optime ualeamus, accurate, quaecunque uires tuentur aut augent, persequimur, quae posse uidentur infirmare ac minuere, declinamus. itaque ad balneorum medicinam non prius accedemus, quam id et tuto et salutariter fieri posse intelligamus. nunc quidem alienum tempus est. uides, quae pluuiae, quam paene hiemales dies. haec dum ita se habent, nos opportunitatem spectantes in his oppidis et uillulis iucunde satis oberrabimus. quod quoniam quam diuturnum sit futurum diuinare difficile est et ego, dum te careo, multis commoditatibus una careo, tuque, ut ternis iam litteris significare uideris, non abes a me sine molestia: mea caussa rogo, tua hortor, ut, quamquam nondum consedimus, mature tamen, nisi quid grauius impedit, reuertas. et ut scias, quo me loco conuenire possis, Pisis ad idus Iunias et ultra, ut opinor, aliquanto, sed ad idus Iunias certe commorabimur. Vale, Pisis [MDXXXI].

II.

Aniano Burgonio.

Si mihi per negotia licuisset, respondissem litteris tuis et citius et uberius. nunc etsi non minus premebar iisdem occupationibus, tamen cum et ueterem nostram consuetudinem essem diligentius mecum recordatus et uiderem alienum ab institutis meis, si ego

---

20 'reuertas' sic etiamtum in editione anni 1573 legitur. — 25 Ex epistularum appendice editioni Krausianae adiecto (I).

diuturniori silentio tecum uterer, praesertim a te ad scribendum humanissime inuitatus, putaui mihi faciendum, has ut ad te litteras quoquo modo conficerem. In quibus illud erit primum, quod erat prope extremum in tuis, hoc est de studiorum meorum ratione. quae quidem eiusmodi est, ut eam facilius ipse tu tecum cogitare possis, quam ego perscribere. nam cum huiusce prouinciae, ad quam ego summis uiris hortantibus me contuli, naturam et rationem facile uideas idemque optime intelligas, quam magnam hoc tempore propter memoriam clarissimi patris expectationem sustineam: omnino potes tibi persuadere hanc ipsam curam unam esse, in qua totos dies et noctes inuigilem. Atque ego tamen, ne semper idem agam, aliquid quotidie subseciuis horis uel scribo uel lego. nudius tertius Euripidis Medeam in manus sumpseram: ecce tibi statim Cicero et Ouidius interpellatores, honesti illi quidem, sed interpellatores tamen et a quibus imprimendis aegre mihi quidquam vacui temporis concedatur. Ouidii, cum haec scriberem, Tristium libros excudebamus; Ciceronis autem epistolarum, quas familiares appellant, quinque libri iam erant confecti. quae ubi primum erunt absolutae, dabo me recognoscendis iis, quae sunt ad Atticum inscriptae. locos emendatos habeo supra bis mille et exemplaria uetustissima quattuor expecto. interim in Catullum quaero, in quem item habeo non parum multa. de Themistio uero quod scire uis, spero fore, ut eum (nisi Deus aliquis obstiterit) exeunte mense praelo demus. habes iam, plus etiam fortasse, quam postularas, non modo praesentis meae uitae rationem, sed etiam futurae diuinationem. Tibi felicitatem istam, mi Aniane, gratulor, qui assidue cum philosophis et oratoribus in summo otio uiuas. quam consuetudinem ne desineres, hortarer ego te pro nostra coniunctione proque ea uoluntate, quam ego iam pridem erga te contuli, nisi et te uiderem tua sponte satis incitatum et me cognoscerem

1*

ad id faciendum minus accommodatum. quare hanc partem omitto. Quod reliquum est, de me uelim tibi omnia constanter pollicearis, quae ab amicissimo homine expectari et solent et debent. ego omnem meam operam, curam et diligentiam ad te defero. Tu nullum officium neque gratius neque iucundius praestare mihi potes, quam si et creberrimas et eas longissimas ad me litteras miseris. id quod eo libentius, ut puto, facere debes, quod haec ipsa scribendi uicissitudo non mediocrem fructum utrique nostrum est allatura: mihi, quod ex tuarum litterarum lectione semper aliquid memoria dignum excerpam; tibi, quod assidua scriptione consequeris, ut, si qua interdum festinantius legeris, ea reuocata animo diutissime permaneant atque perdurent. Vale, Venetiis VIII id. Sept. [MDXXXIII].

III.

Paulo Magnulo Pataujum (IV, 52).

Putasti fore, ut ego te abeuntem litteris prosequerer? non tu id quidem umquam. conuenerat enim, ut argumentum a te exspectarem. argumentum igitur potest exspectare meus in te amor? quo nihil uberius nec est nec umquam fuit. itaque statim, ubi tu profectus es, cum me repentina quaedam uoluntas excitasset, arripui calamum neque sum ueritus, ut me scribentem sententia deficeret. hui, quam multa iam nunc mihi ueniunt in mentem. sunt, quae possim scribere, leuitates amatoriae. quorum? inquis. mecum habebo: neque tibi neque cuiquam edam. uolo enim parcere amicitiae, qua mihi sunt coniuncti, qui tam suauiter, ut ipsi putant, uiuunt, ut ego sentio delirant. sunt item σκιαμαχίαι quaedam et militaria munera populo data, taurorum uenationes, saltatorum

lusus, personatorum ineptiae. quid quaeris? sexcenta, quae mihi et beneuolentia nostra suppeditat et familiaritas permittit, ut scribam. quia tamen leuiora sunt, omitto, ne grauem philosophum offendam. porro de meis rebus quid exspectes, nihil est. mutationem nullam fecerunt a discessu tuo. de te quae scire uelim, haec sunt, quo modo redeuntem amici illi tui, libri scilicet, acceperint, num eo ipso die ad eorum consuetudinem te dederis, an potius, dum hae bacchationes deferuescant, in hortis cum Epicuro, quam in gymnasio cum Aristotele uelis uiuere. et, cum haec scripseris, adde uerbum, si me amas, de pugiunculo illo tuo, quo ego te impeditum et alligatum ense cum uidi discedere, non tenui risum. ac uolui pungere te dicto, sed ueritus sum, ne tu rustice me gladio. epistolam habes iocationis plenam, qua te esse delectatum cognouero, si miseris ipse pleniorem. Vale [MDXXXIII?].

IV.

Paulus Manutius Hieronymo Seripando salutem.

Accepi litteras omnes tuas, quae mihi gratissimae fuerunt. intellexi enim, quam facile consecutus essem, ut eum animum, quem ego per litteras detulissem, perlibenter amplectereris; qua quidem re nihil mihi potuit optatius accidere: non quod ego aliter umquam de te sensissem aut quod de tua in studiosos omnes uoluntate dubitassem, sed quod ego ingenii tui candorem satis quidem illum ex aliorum sermone per-

---

20 Ex Renuardi Annalibus Aldinis pag. 520. — 25 'amplectereris' sic scribendum erat pro '*amplecteris*'; Manutius enim raptim, ut ipse confitetur, scripserat.

spectum illustrius tamen etiam ex tuis litteris agnoui. non enim eo solum contentus fuisti, quod quidem erat per se magnum, ut me in amicitiam tuam reciperes, sed aliud etiam ingenuum mentis et animi liberalis indicium attulisti, quod mihi, quaecunque sunt apud te a summis olim ingeniis elaborata, ea te uelle ostendisse impertirem. Quamobrem, etsi cum ego amicitiam tuam expeterem, non ad haec aspexi, quae tu nunc amantissimis uerbis ad me defers, imo uero iam etiam praestas: tamen ut agam tecum tam ingenue, quemadmodum et studia nostra requirunt et natura mea postulat, uehementius quam antea de hoc in me studio te amem necesse est. quamquam enim satis per se magnam uim ad conciliandos homines ipsa uirtus habet, tamen, cum accedunt ista ipsa humanitatis ornamenta, quae in te tanta esse perspicio, fit etiam aliquanto illa celebrior et illustrior. itaque de emendationibus in Epistolas, quae mihi ab Honorato nostro redditae sunt, agerem tibi eas gratias, quas debere me intelligo, nisi et amicitia nostra genus hoc orationis respuere quodam modo uideretur et te hoc a nobis exspectare non duceretur. Familiares quidem excussae iam exierunt, sed ego animum istum tuum nihilominus amplector et exosculor. interim illae ad suum usque tempus ita permanebunt, ut ad priuata studia usui mihi et Honorato nostro aliquando sint. cuperem etiam in Catullum aliquid, in Terentium, Plautum et Officia Ciceronis. in Terentium et Plautum etiam aliunde exspecto. in Officia et Catulli poemata sunt quidem apud nos castigationes non parum multae; sed uides ardorem in hoc genere meum. omnino totus in hoc sum, ut eam exspectationem, quae mihi propter paternam gloriam ueluti grauis aduersaria constituta est, si fieri possit, aliqua nostra cum laude sustineam. cur autem tam multa simul

---

13 'amem' pro tradito '*amer*'.

a te petam, ne me putes id facere temeritate quadam mea, quam breuissime potero, summam tibi totius meae deliberationis exponam. Aldo patre defuncto, cum ego uix primam lucis usuram hausissem, omnis rei typographicae cura ad eos quasi per manus uenit, qui sanguine coniuncti, uoluntate dissimiles, cum augere domesticam hanc laudem et deberent et possent, in medio, quod aiunt, nostrae gloriae famaeque cursu defecerunt. ex illo tempore omnia, ut inquit ille, 'in peius ruere ac retro sublapsa referri'. non enim quidem ⟨licet⟩ in hac parte libere loqui, quae ad alios tota pertinet, et tamen haec ipsa cogitanti mihi ita stomachus interdum mouetur, ut paene fronti feriam. itaque feci dolore inflammatus, quod nullae rationes aliis persuadere satis potuissent, meque in has occupationes, in quibus adhuc uersor, penitus repugnante natura conieci. nunc in eam curam incumbo, ut, cum ab hoc instituto breui discedere certum sit, prius aliquid in apertum referam, quod superiorum temporum offensam emendare commode possit. quae caussa fuit, ut in Ciceronem et in reliquos a te petam, eoque id audacius egi, quod in hoc agitur non modo mei unius honor et emolumentum, sed etiam Italiae nostrae laus et gloria, quae si a barbaris hominibus in hoc genere superatur, quid potest esse turpius aut ueteri nostra existimatione indignius? ego uero huc omnes neruos intendo omnique non solum studio uerum etiam contentione enitor, ut, quidquid ab illis ereptum uidetur, patriae nostrae, quae semper quasi mercatus quidam bonarum artium est habita, restituerem. quod si, ut spero, assequar, tum uero libenter istam artem desinam dictaque typographico muneri salute multa ⟨in⟩ otium me, ut possim aliquando arbitratu meo, id est cum uirtute, uiuere,

10 in peius ruere etc. Verg. Georg. I, 200. — 11 ⟨licet⟩ inserendum erat. — 33 ⟨in⟩ addendum erat.

totum abdam. a te non petam pluribus uerbis, ut huic desiderio meo uelis obsequi, ne, si id faciam, uidear constantiae meae diffidere, qui mihi illa multo ante iam ultro obtulisti. agebas mihi gratias in prioribus illis de Arcadia Sannazarii, in quo mihi uisus es inducere in amicitiam nostram genus orationis minime necessarium. itaque posthac ista omittamus. nudius tertius ipsius auctoris Elegias et Epigrammata accepimus, de quibus, ut Fascitellus noster iusserit, ita faciam impeditus plurimis negotiis iisdemque maximis scripsi negligentius, quam par erat, itaque hanc epistolam conscindes.

Vale, MDXXXIIII. VIII. idus Mart. Venetiis. Manutius tuus raptim, ut uides.

V.

Paulus Manutius Hieronymo Seripando S. D.

Etsi maxime uereor, ne tu uel negligentem, uel etiam tui parum memorem, qui rarius ad te scribam, existimes, mihi tamen interdum in hac ipsa dubitatione non sine aliquo dolore uersanti duae caussae consolationem haud sane leuem afferre solent et quod in hoc ipso cessationis crimine, ut uideo, ne tu quidem omni culpa uacas, qui nondum eis litteris, quas superioribus mensibus ad te dedimus, responderis et quod, quibus ipse occupationibus non dicam ab scribendi officio, sed ab ipsis etiam libris auellar, Fascitellus noster optimus testis esse potest. quod utinam non ita esset, ut scribimus! profecto meum studium in hoc genere minime desiderares. sed accidit nescio quo meo fato, ut quo maxime tempore suauissimos

---

16 Ex Renuardi Annalibus Aldinis pag. 522.

earum artium fructus, quibus me ab ineunte pueritia dederam, colligere me sperabam, nunc quidem non illa solum iucunditate concessa iam animo priuarer, sed acerbissimos etiam dolores miseriasque perciperem. nosti autem ipse tu, an ulla Musis et Phoebo cum huiusmodi curis commercia sint. me quidem in his molestiis degentem excludunt prorsus a consuetudine sua. quo factum est, ut non modo quidquam umquam litterarum ad te conficere, sed ne Bitotti quidem principis lectissimae feminae et Scipioni Capycio, cuius eruditionem plurimi facio, respondere potuerim, quamquam serius aliquanto cognoscere quod uelint quam cito, quod non ita gratum sit, omnino illis optatius esse debet. cupio enim, ubi primum his fluctibus emersus eum portum attigero, quem ipsa mente quasi de specula quadam longe intueor, doctis omnibus et probis tibique in primis satisfacere, cuius quidem quod in amicitiam peruenerim, puto me quidem egregium atque praeclarum esse consecutum. itaque non modo faciam, quod iubes de edendis Sannazarii monumentis, sed in reliquis etiam, quae te uelle quaeque uel ad laudem uel ad existimationem tuam pertinere existimabo, dabo operam, ut me tui tuarumque rerum studiosissimum intellegas. Sannazarii autem nostri editio si longius, quam erat animi tui desiderium, dilata est, noli, obsecro, propterea me accusare neque credere magis id mea culpa fieri, quam quorumdam hominum improbitate atque inuidia, qui me, cum iuuare et possent et deberent, odisse ac insectari maluerunt. quod tamen incommodum partim ope Dei Opt. Max. partim nostra diligentia breui sublatum iri speramus. itaque renouatis denuo characteribus, quo magis clarissimi Comitis desiderio respondeant, ita impressionem libri maturabimus, ut nihil, quod sit in studio positum, praetermissuri simus. tu, si nos diliges, ut hactenus fecisti, uidebis diligenter, an in ea librorum supellectili, qua

Sannazarius, cum uiueret, usus est, extet Gratii Poema quoddam manu scriptum satis breue, numeris heroicis, de Venandi ratione, de qua re tuis postea litteris certiorem me facies. Vale, Venetiis, VI. idus Mart. MDXXXV.

VI.

P. Manutius B. Accolto, Cardinali Rau. Honoratissimo S. D.

Vel in summis occupationibus libenter facio, ut ad te scribam; nunc eo libentius, quod et mearum litterarum satis longum fuit interuallum et otii nunc tantum est, quantum optare numquam ausus essem. itaque etsi, quod scriberem, magnopere non erat, tamen in tanta uacui temporis facultate non putaui mihi esse committendum, ut tu me quasi negligentem aut, quod grauius esset, tuorum erga me oblitorum immemorem accusare posses. accipe igitur aliquid de studiis nostris, quoniam, quid tibi meis litteris significem, aliud fere non habeo. matutinas horas in Aristotelem ponimus: unius *τὰ Ἠθικὰ* sumus aggressi admonitu atque hortatu Octauii (Ferrarii) nostri, qui me litteris prudentissime et officiosissime scriptis quasi dormientem excitauit. quod quoniam ille cum sua sponte tum, ut conicio, de tua sententia fecit, uigilando operam dabo, ut utrique uestrum, quorum iudicia plurimi aestimo, satisfaciam. pransi, cum aliquid de historia strictim attigimus, eximus animi caussa et, quod ad uesperam temporis super est, uale-

---

7 Ex epistulis Manutianis a Renuardo anno 1834 editis pag. 330 et sequ. — 21 ('Ferrarii') Renuardi errore insertum mihi uidetur. ei enim erat praenomen Octauianus (uid. pag. 11). Intellegendum esse puto Octauium Pantagattum, cuius familiaritate et Accoltus et Manutius utebantur.

tudini damus. abditi deinde in cubiculum, quae reliquae sunt ante coenam horae, eas Ciceronis lectione consumimus. hac ego meorum studiorum ratione ita delector, ut eam uel omnibus omnium Regum fortunis anteponam et simul interdum solitudinem aliquam spectem, ubi hoc otio sine ulla interpellatione diutissime fruamur. quod profecto efficiam, si me hoc emendandi ueterum libros onere, quo nunc quidem ualde premor, Deus aliquis leuarit. interim, quoniam hanc Spartam, quae obtigit, deserere sine ignauiae suspicione non possumus, tueamur eam atque etiam, si fieri potest, ornemus. quo nunc in genere aliquantum laboramus, propterea quod ii, qui nascenti meae laudi fauere debebant, hactenus obscure inuiderunt, nunc aperte etiam aduersantur. sed non dubito, quin omnem maleuolentiam uirtutis ope aliquando superemus. quare haec, etsi sunt molesta in primis atque acerba, tamen non efficient, ut mihi hoc otium minus iucundum, minus re dulce sit. facio enim constanter, quod doctissimi uiri praecipiunt, ut in litteris et in iis studiis omnia ponam, quae nos secundis rebus delectare, aduersis etiam iuuare possunt. in qua sententia multo confirmor magis, cum recordor, id quod facio saepissime, quantae tibi curae meae rationes fuerint, qua me praesentem humanitate tractaris, quibus absentem officiis ornatum esse uolueris, quae non uideor mihi ullo pacto posse sustinere, nisi me totum iis artibus dedam, quae sunt non modo ad referendam, sed etiam ad illustrandam gratiam aptissimae. quod quia me facere intelligis et quia, ut Octauianus scribit, non existimas mihi esse patiendum, quantum proficiam, confido te de tuo in me studio nihil detracturum; idque ut facias etsi non arbitror esse necessarium, tamen magnopere te rogo. Vale, IIII. Kal. Oct. Venetiis [MDXXXVI?].

---

10 'hanc Spartam' Cic. ad Att. IV, 6.

Cum hanc epistolam iam complicarem, redditae sunt ab Octauio litterae, quarum prima pagella ualde me perturbauit. significabat enim te grauiter laborare, sed tamen aliquantum sum recreatus, posteaquam in iisdem litteris ea, quae uolebam, legi de corpore tuo non nihil alleuato. spero autem et confido breui fore, ut tua prudentia et temperantia reliquiis morbi depulsis pristinam ualetudinem consequaris. de qua si fiam certior, magna sane molestia liberabor. Iterum uale.

VII.

Marcello Ceruino Cardinali Romam (I, 7).

Postea quam Roma discessi, etsi tum mea uetus in te obseruantia, tum tua in me perpetua beneuolentia postulare uidebatur, ut ad te quam saepissime scriberem, tamen id non feci, propterea quod omne otium atque omnem etiam mentis tranquillitatem molestae in primis ademerunt occupationes. quarum me, cum primum huc reuerti, tantus aestus absorbuit, ut longo interuallo uix emerserim. nam primum domesticas res ita male affectas offendi, ut eas seruare multi temporis, non exigui laboris, etiam alicuius artis esset. deinde, cum illa, quam scis in meis epistolis nutu tantum appellari, inimica natio uirtutis ac diligentiae, quae etiam patri meo, uiro optimo (et adde, si quid uis) negotium exhibuit, ad me uexandum atque opprimendum conspirasset, durius habui negotium, ut meas fortunas in tuto collocarem. sed me, qui antea praesto mihi semper affuit laboranti, idem in hoc potissimum discrimine egentem opis et consilii, nec mediocriter de

---

13 anno 1539.

toto rerum mearum statu sollicitum respexit ac liberauit Deus. itaque omni plane molestia perfunctus esse mihi uideor. quid quaeris? aliqua etiam officii specie ab iisdem obseruamur ac se satis apte simulationis, ut opinor, artificio tuentur. accipere tamen quod datur, quocumque animo detur, inscitiae non est. nec hodierni mores et ratio temporum secus postulat. Cetera sunt in meis rebus non plane cuiusmodi nos putabamus, sed cuiusmodi tamen multi non sperarunt. quibus haec, quae nunc agimus, amplissima uidentur esse, cum nos prae iis, quae, nisi quis casus nostris consiliis occurrerit, agere aliquando cogitamus, tenuissima iudicemus. quam quidem ad rem quod tu omnia, quae in te sunt, liberalissime polliceris, quodque Alexandrum etiam Farnesium, praestantem omni uirtute Cardinalem, in eandem rationem propensum esse affirmas: equidem de te sic existimo, et multas esse res, in quibus iuuari a te pro tua summa tum dignitate, tum etiam fortuna possim, et in iis rebus nunquam omnino mihi tuam esse humanitatem defuturam. Farnesium autem, diuinum adolescentem, natum ad liberalitatem et ad gloriam, non miror eo esse erga uirtutem animo, quo quia semper fuit auus eius, iccirco ad eum gradum, qui est in terris summus et augustissimus, diis hominibusque uolentibus adscendit. ac sane ille cum domestico exemplo, tum multo etiam magis egregia ipsius natura ad immortalitatis laudem excitatus saepe alias, quanti bonas artes faceret, ostendit, sed proxime uel in primis, cum Hieronymum Ferrarium, iuuenem rarissimae uirtutis, sanequam pro eius meritis ornauit atque auxit. in quo, cum apud unum posuisse beneficium uideatur, a multis tamen gratiam iniuit. nam cum uos, tales uiri, patrocinium litterarum suscipitis, quicunque bonis artibus delectantur, animo recreati ueniunt in spem aliquando fore, ut post diuturnos labores et molestiarum quasi tempestates in quietis et otii portum uobis adspirantibus deferantur.

quos si in cursu studiorum instituto uestrae benignitatis aura deficiat, haerebunt neque iam poterunt, quo intendebant, sine ope auxilioque uestro peruenire. uerum huiusmodi dubitationem uestra iam consuetudo sustulit. magna enim optimae uoluntatis documenta saepissime dedistis, maiora etiam dare cogitatis, cum quidem, ut Antonius Bladus ad me detulit, pulcherrimam rem et uobis dignissimam aggressi omnes libros Graece scriptos, qui nunc in Bibliotheca Palatina conditi asservantur, praelo subicere cogitetis, ut multiplicatis exemplaribus per orbem terrarum in usum omnium gentium omniumque saeculorum diuulgentur. cui se muneri Bladus a te esse praepositum aiebat, itaque uenisse ad nos, ut et eos typos, quibus atramento illitis charta imprimitur, conflandos curaret et si, quae praeterea sunt ad opus necessaria, maturaret. sane sum laetatus plurimum hominemque sua sponte diligentissimum tamen cohortari non desino, ut in ea re, quae ad commodum studiosorum, maxime uero ad tuam, ut ego sentio, gloriam spectat, operae ne parcat, eique dixi, ut ad omnia me et fratribus uteretur. neque minus prolixe, quae uerbis petierit, re praestabo. nam et hominem diligo et uero tua uoluntas maximi est apud me ponderis. In Romulo quidem tuo, quem initio sum complexus ut fratrem tuum, deinde amare coepi ut te fratre dignum, nihil praetermitto, quod aut in officio cohortandi aut etiam in studio iuuandi positum sit. sed ille, cui notissimae sunt occupationes meae, pudore, credo, effecit, ut rarius ad me scribat, cum mihi, uel in maximis negotiis, ei uacare non modo non molestum, sed etiam gratissimum sit. quod tu, si uidebitur, ad illum scribes simulque litteris monebis, ut, quo consilio Patauium est profectus, id studio et diligentia consequatur. neque tamen hoc dico, quod eum adhuc quidem lapsum esse putem, de quo etiam ea, quae uolumus, et uidemus et audimus; sed quod, infirmitatem eius aetatis cum re-

cordor, interdum uereor, ut possit consistere. Vale. Venetiis MDXXXIX.

VIII.

Benedicto Accolto Cardinali Ferrariam (IV, 38).

Cum primum Venetias reuerti, etsi eram et fessus aliquantum de uia et eo morbo, qui me Ferrariae satis grauiter afflixit, nondum plane leuatus, tamen magnitudo meae in te obseruantiae tuaeque in me beneuolentiae recordatio me adduxere, ut ad te scriberem. quo genere officii quam mihi saepe apud te sit utendum, intelligo. nam cum eo ipso die, quo mihi aditus ad tuam amicitiam patuit, de meis commodis et ornamentis non cogitare solum, sed agere etiam coeperis, omnino, si uelim id, quod maxime uelle debeo, quibus me studiis a pueritia dedidi, iis haberi non indignus, diligenter ineunda mihi ratio est, ut istam tuam ad me augendum tam propensam uoluntatem plurimi apud me et esse et semper fore significem. id hoc tempore nisi litteris mittendis qua re alia consequar, non uideo. facultatem maiorem si umquam nactus ero, arctissime complectar neque dimittam prius, quam tibi saltem aliqua ex parte persoluam. quod interea a me deberi non solum non dissimulo, sed etiam apud omnes libentissime praedico. Quid enim mihi esse potest, non dicam honestius, sed gloriosius, quam te, uirum omni genere uirtutis excellentem, summa dignitate praeditum, acerrimi in hominibus cognoscendis iudicii, nullum officii genus aut studii, quod quidem ad meam siue utilitatem siue laudem pertineat, praetermittere? mehercule nulla res fuit, quae nos ad probitatis et doctrinae opinionem commendare magis posset. itaque, quod ante faciebam domestico tantum exemplo commotus, ut per eam uiam, quam mihi pater meus

tritam reliquisset, expedito cursu ad summam laudem gloriamque contenderem, id multo acrius facio nunc iudicio de me incitatus tuo. cui uereor equidem, ut respondere possim, et est sane difficillimum. sed tamen, quoniam ita tempus omne meum traduco, ut, quantum ualetudinis ratio patitur, in litteris uerser et quasi diuturnam sitim explere cupiens iisdem ex fontibus, unde illa fluxerunt, quae sunt laudum tuarum maxima, diligenter hauriam: non despero fore, ut et homines officia tua bene posita existiment et tu, qui tibi a me fructus debentur, eos non contemnendos aliquando percipias. cuius rei maturitas dum ueniat, est interea mei officii tui memoriam summa cum beneuolentia sanctissime ac religiosissime colere, tuae uero humanitatis eam uoluntatem, quam ad me iuuandum tua sponte contulisti, perpetuo retinere. quorum alterum ego quam potero diligentissime faciam: alterum tu ut facias, propter incredibilem naturae tuae benignitatem ne admonendus quidem es. Vale. Venetiis [MDXXXIX].

IX.

P. Manutius Be. Accolto Rauennae Cardinali S. D.

Vereor, ne tu me putes in scribendo factum esse negligentem, etsi caussam meae cessationis ab Octauio, ut opinor, habes cognitam. uerumtamen fortasse enim tu ita existimes, nullam occupationem esse tantam, quae officii cursum debeat interrumpere. sed noli credere me tam abundare ingenio, ut nullo proposito argumento facile, praesertim ad te, possim scribere, qui cum argumento mehercule uix possum. quae res

22 Ex epistulis Manutianis a Renuardo editis pag. 328/9.

facit, ut etiam si mihi otium contingat, quod sane a discessu tuo nullum contigit, litteras tamen ad te minus saepe mittam. nunc rei magnitudo fecit, ut in summis occupationibus haec tamen exararem. Antonium fratrem sic amo, ut debeo. sed inter fratres pietas esse solet, suauitas non solet. de nobis hoc ne credideris. amamus inter nos, ut fratres, uiuimus, ut aequales. itaque non facile dixerim, uter utri sit carior aut iucundior; nisi forte in hoc officio ideo ille me uidetur uincere, quod a me, qui sum natu minor, uinci se non patitur. hunc tibi non puto opus esse ut commendem, sed commendo tamen eoque studio, quo me intelligis et fratrem et talem fratrem debere commendare. accidit, ut eum in negotio suo tua plurimum gratia iuuare possit. quamobrem humanitate tua fretus adibit ad te et caussam tibi suam de mandato suo diligenter exponet. quae si tibi probabitur, peto a te, ut aequissima in re fratrem meum tui studiosissimum auctoritate tua, quae apud omneis bonos maxima est, adiuuandum suscipias. Vale. Venetiis IX. Kal. Sext. [ante annum MDXLIV].

X.

Siluestro Aldobrandino (IV, 55).

In iis litteris, quas ad Angulum nostrum XVI. Kal. Sext. dedisti, ualde mihi scripta urbane uisa est illa pars, in qua nescio quid de me per iocum, sed cum quadam tamen amoris nota significasti. gaudeo me tibi usque eo esse familiarem, ut etiam facetiis lacessas. quo in genere si perges, gratiam referemus, ne tu homo ingeniosus nos tardiores impune commoueris. Mihi cum amico tuo recte conuenit. doctum hominem cognoui, bonum uirum esse audio. haec cum sint in

hominibus transalpinis, amorem conciliant: quando magis in nostris? At in litteris aliquando dissensimus. ego uero non nihil etiam a parente meo. neque tamen parentis manibus eam, quam debeo, pietatem minus praesto. opinionum enim dissimilitudo tantum abest a simultate, ut saepissime, non modo qui sententia discrepant, sed etiam, qui simultatem exercent, iudicio congruant. Quare amoue istam ex animo tuo suspicionem meque cum illo ita crede esse reconciliatum, ut posthac ab eo, etiamsi dissentiendi caussa sit, dissentire tamen nolim. Hic, ut in tantis caloribus, non iniucunde uiuimus: urbis mirifica elegantia, caeli summa salubritas. si quando aestus maior est, quam ut ferre possimus, confugimus ad aquas. innixi utribus inflatis, remoto loco, nos inter nos ludibundi flumina perambulamus. quid quaeris? si te haberemus, ad summam uoluptatem nihil deerat. sed animus tamen meus, quem tu, credo, cantionibus quibusdam tibi addixisti, peruolat magna spatia terrarum et te insciente saepe tecum est. itaque non ego te prorsus careo. nam si minus sermone, adspectu certe tuo fruor, dum de te cogito. quod si aliquando contigerit, ut etiam sermone possim, nae ego collocutionum nostrarum fructum interuallo temporis amissum ita repetam, ut ne studiis quidem parcam tuis, in quibus audio te post nostrum discessum magna quaedam effecisse. Caput etiam illud litterarum tuarum Cardinalis Accoltus mihi ostendit, in quo ita scriptum est, paginas te circiter octingentas iam impleuisse commentationibus iis, quas in Pandectarum libros texis. puto magni laboris esse magnaeque difficultatis, sed si considerabis, quae tibi praemia proposita sint, uinces omnia. petis immortalitatem, quam multi sequuntur, tu iam paene manibus apprehensam tenes. Vale. [MCXLI?].

XI.

Rainutio Farnesio Cardinali creato Romam [I, 1].

Quia uirtus est ipsa per se amabilis et quia nobilitati honor et obseruantia debetur, amaui te iam inde a tua pueritia studio uirtutis incensum et colui clarissimo genere ortum, Pauli III. Pontificis nepotem. iam tum equidem uidi praedixique multis, qui futurus esses. et nunc opinionem auguriumque de te meum exitu probante utrique nostrum gratulor: tibi, cui tribuuntur ea, quae semper illustria fuerunt, nunc eo magis, quod a Paulo III. Pontifice tribuuntur; mihi, qui de tua futura dignitate, fretus indole, moribus, ingenio tuo, adolescens uere coniecerim. Cardinalis es. optabile et honorificum: sed est in isto honore pondus et labor. cadunt in eam, quam nunc sustines, personam uirtutes omnes atque ita cadunt, ut, si absint, is, qui honor est, honor esse desinat, uel sit etiam summa deformitas. Curae autem et cogitationes illae sunt praeclarae, illae, Rainuti, te dignae aeternaque cum gloria coniunctae, pietatem praecipue colere; excubare animo pro salute ac dignitate Ecclesiae, beneficentiam sine spe praemiorum exercere, nihil omnino facere, nihil cogitare, in quo statim decus non eluceat. nam, ubi paullo uidetur obscurius, ibi satis constat turpitudinem inesse. quae profecto tibi in mentem uenire atque ob oculos assidue uersari, cum in aui tui summam gloriam intueris, necesse est. et omnino datum hoc uestro generi diuinitus uidetur, uobis nascentibus heroum numerus ut augeatur et quasi maius lumen de sublimi quadam specula errantibus honestis disciplinis uiam et hospitium ostendat. ergo alter alteri exemplum estis ad bene agendum, uobiscum simul et oriuntur uirtutes et cum aetate crescunt, donec uitae munere perfunctos educant ex

hac rerum humanarum taeterrima caligine et in illa sempiterna luce collocatos cum illo bonis omnibus circumfluente caelestium animorum coetu coniungant. Aut igitur mihi nullus tui cohortandi relictus est locus aut hic tantum, ut uelis esse tui quam simillimus, quodque tuo generi, tuo nomini, tibimet ipsi tuisque debes institutis, id cumulate persoluendum existimes. Vnum exoptandum, ut, qui tibi istam mentem cum ista auctoritate dedit (dedit autem omnium auctor laudandarum rerum et creator Deus), idem uelit utriusque rei fructum esse maxime diuturnum et aequare tuae uitae spatium cum iis bonis, quae in te summa contulit. profecto tales gubernatores, tam peritos, tam uigilantes, Christiana religio si numquam non haberet, numquam illae exorirentur dissidentium opinionum horribiles procellae, quae iactare multis abhinc annis Petri nauem coeperunt neque dum consistere patiuntur. quo quidem mihi libet ominari de te idem plane, quod cupio, futurum, ut optimis artibus, quamdiu uixeris, praesidio sis et ornamento, uiuas autem, quamdiu uel temperantia duce uel naturae lege licet. Vale. Venetiis. MDXLIV.

XII.

Vido Fabro Patauium (I, 6).

Nescio, utrum fortunae succenseam, cuius culpa factum sit, ut ego tuas litteras duobus fere mensibus post eum diem, quo tu scripseras, acceperim, an eidem gratias habeam, quod mihi arculam quandam scriptorum meorum euoluenti planeque aliud agenti de improuiso illas obtulerit. gratias habebo potius, quod eodem tempore simul cum iniuria beneficium accepi, et iniuriae beneficium praeferri aequum est. sed quoniam uereor, ne tarditatem in scribendo meam durius

acceperis, hunc tu mihi scrupulum, Vide, si ex animo euelleres, faceres humane nec tamen inique, cum hoc ipsum, quod commissum a me est, primum ex aliena culpa pendeat, deinde nunc quidem etiam corrigatur. Venio ad tuas litteras, quibus mihi gratius nihil potuit accidere, dicerem iucundius, nisi clausula illa de Bunello meo plane omnem iucunditatem eriperet. nam sic fac existimes, ex illius uiri interitu tantum me cepisse dolorem, quantum fortasse dies exhaurire nulla poterit. Vixerat mecum Venetiis per quadriennium, cum ego in illo probitatem morum uirtutemque diligerem, ille in me propensionem, credo, quandam ad litteras non improbaret. intercessere etiam inter nos officia quaedam, sed a me leuia nec satis digna, quae memoria tenerentur, quae tamen ille, ut erat gratus, non meminisse solum, sed praedicare etiam solebat. ego ab illo maximum habebam beneficium, quod me cum Philelphis et Campanis nescio quibus (ut aliis parcam), misere errantem in hanc recte scribendi uiam primus induxerat. videbatur quibusdam natura seuerior, sed erat lenissimus erga sui similes, hoc est erga bonos uiros, ubi uitium nosset, censor acerrimus. distinguere homines non fortuna sed moribus solebat. loqui ad uoluntatem neque ipse poterat neque ferre, qui ad istam artem eruditus esset: totus erat apertus et simplex. satis scio fuisse, qui illum deprauatae religionis nomine in crimen uocauerint. quorum uitam si cum Bunelli uita comparares, Socratem diceres iniquorum conspiratione circumuentum. Coluit omnes uirtutes et philosopho dignas et homine Christiano, sed continentiam praeter ceteras. hac uero ille triumphauit maxime et triumphauit adolescens, cum ceteros uoluptas capit. quo mirandum est minus, si tantus postea uir ex tanto adolescente factus est. nam extremam uitae partem, quam, ut in fabula actum, decet esse perfectissimam, heroicam audio fuisse et plane diuinam. quare incumbamus, o Vide, et hanc operam

Bunello nostro nauemus, ut illius nomen immortalitate dignissimum extingui mortali cum corpore non sinamus. quod equidem enitar et hominis mihi amicissimi, summi uiri memoriam, si modo is ego sum, qui tantum praestare possim, profecto ab interitu uindicabo. uideo te in tuis litteris idem uelle, nec dubito, quin possis. nam et Bunellum amas mortuum et uales plurimum ingenio, quod etiam pietas excitabit. cuius officii societas eo gratior utrique nostrum esse debet, quod cum apud alios laudabilis maxime erit, illustri exemplo gratiae referendae, tum ad animos nostros amore coniungendos aeternaque necessitudine conglutinandos plus ualere nihil potest. Reliqua erant in epistola tua magnifica quaedam et eleganter scripta de laudibus parentis mei, quae uerissima fateor, quaedam etiam de me ipso, quae non agnosco. nam etsi tibi, nobilissimo adolescenti multis non solum fortunae, sed etiam naturae doctrinaeque bonis ornato et, quod caput est, uirtutis amanti, placere maxime uelim, tamen quia nemo adhuc a me hoc impetrauit, ut ea mihi adsciscerem, quae mea non essent, patere, obsecro te, de me ipso mihi potius me credere, quam tibi. quod si cupidum esse laudis laudem esse uis, isto me licet nomine non contemnas, quod ea, quae habent ii, qui laudabiles ducuntur, ego eadem ut haberem semper laboraui. sed scis uelle et perficere non idem esse. alterum contingit multis, alterum dumtaxat iis, quos dii diligere putantur. quorum ego te in numero, optime Vide, praestanti natura praeditum, Bunelli praeceptis informatum, confido facile futurum. Vale. Venetiis. MDXLVI.

XIII.

Stephano Saulio Decentianum (I, 3).

Magnum est hoc, Sauli clarissime, humanitatis et amoris in me tui argumentum, quod, cum in istis locis nunc sis, ubi multam diei partem cum singulari uiro, Cardinali Polo grauissimis sanctissimisque sermonibus traducas, non modo tamen de me cogites, quo ego uno contentus esse poteram, uerum etiam id ipsum mihi declarandum litteris existimes. at quibus litteris? scriptis mehercule, quod ad uerba attinet, elegantissime, quod ad sententias, prudentissime, ut iis legendis non magis amarem amorem tuum, qui te ad scribendum impulerat, quam eloquentiam suspicerem, qua effeceras, ut illa ipsa, quae scriberes, cum ornatiora essent, amabiliora quoque uiderentur. Quare, cum tibi ago gratias, ut debeo, immortales, quod ita animatus in me sis, tum uero etiam atque etiam te rogo, in quo me ambitio quaedam mouet, ut id, quod facis, perpetuo facias. quanti enim putas ad meam laudem interesse, cum hoc percrebrescit, me a Stephano Saulio diligi, cuius est familia perillustris, qui suae ipse familiae clarum lumen est, quem praeclari illi uiri, eius consuetudine et conuictu magnopere delectati, coluerunt, Bonamicus, Julius Camillus, Longolius. Haec ego, Sauli, cum aliquot abhinc annis cogitarem, semper quidem, ut a te diligerer, optaui; ut uero etiam laudarer, optare fortasse potui, sperare, cum ipse me nossem, certe non debui. scripsisti in hac romanae linguae facultate non, mihi neminem praestare, sed id, quod ego cum legerem erubui, neminem esse, cui non ipse antecellam. equidem, ut quod res est aperiam, fateor a prima pueritia ita me in litteris

26 'coluerunt' ante Bonamici nomen legebatur in prima editione 'Flaminius'.

esse uersatum, ut unam maxime spectarem eloquentiam, unam colerem, unam admirarer. atque hoc me studio satis mea sponte flagrantem acrius inflammabant ii, qui tum homines uiuebant, Bembus, Sadoletus, Bonamicus, quorum nomina per orbem terrarum celebrata sermonibus et scriptis exstingui nulla uetustate posse intelligebam. Polus hic noster, qui nunc in omni laude omnique uirtute tantus est, suis me scriptis capiebat atque afficiebat maxime. ego tum, ut erat aetas mea, praeter uerborum et nonnullarum sententiarum ornamenta nihil agnoscebam. pure et eleganter scribere putabam esse id, quod unum si assequerer, excellerem. sed Rhambertus meus, qui ex Gasparis Contareni, praestantissimi uiri, consuetudine prudentiam hauserat, praeclara quaedam notabat in Polo meque paullo aetate inferiorem, ex uulgata uenalium magistrorum disciplina rudem atque impolitum erudiebat et conformabat exemplo. tum quidem, quantum proficerem, non me paenitebat et ex iis, quae ieceram, fundamentis aliquid eiusmodi, quale ego uellem, excitari aliquando posse uidebatur. sed in rebus humanis quis est, cui nihil umquam secus accidat? cum in eloquentiae studio multus essem nec satis ualetudini parcerem, incidi in morbum. qui cum esset per se grauis, tum eo factus est periculosior, quod usu mihi librorum a medicis interdicto magna sane est animi mei affectio atque aegritudo consecuta. post biennium denique ualetudine recuperata, cum praeteriti temporis iacturam sarcire diligentia uellem, ad pristina studia redeuntem exceperunt domesticae controuersiae, quas neque sedare minimo negotio neque negligere sine graui mearum fortunarum exitio licebat. his quoque me difficultatibus aliquando is, cui omnia debeo, eripuit Deus. Lucem iam, quasi diu per tenebras errassem, uidebar aspicere. et quamquam multorum annorum amisso fructu erat sane, cur ingemiscerem uitamque mihi haud satis iucundam putarem,

tamen otii spe recreatus facile impetrabam a me ipso, ut ex animo meo superiorum molestiarum atque incommodorum memoriam obliuione delerem. uigebat item, ut antea, pristina illa cura, nec erat quidquam in meis consiliis antiquius, quam ut abditas atque implicatas in mente cogitationes non modo aperire atque explicare uerbis, uerum etiam exornare quasique pigmentis et coloribus illustrare possem. res erat nec exigui temporis et maximi laboris. tempus non, quantum rei magnitudo ferret, suppetebat, cum ex uetere patris instituto in hoc imprimendorum librorum munere et restituendae antiquitatis cura distinerer. laborem autem, uel si abundarem tempore, perspecta ualetudinis meae ratio recusabat. utrumque tamen cum uoluntas uinceret quotidieque aliquot horas occupationibus ereptas stylo darem, ecce me nescio quis, homo certe satis fortuna felix, praemiis commotum et blanditiis captum atque irretitum Romam abduxit. ubi cum aliquot menses non in iis, quae semper amaueram, litterarum studiis, sed inani officiorum genere consumpsissem et ille, quem secutus eram, montes aureos pollicitus uix minima praestaret, collegi ipse me neque solum studiorum meorum, quae intermiseram potius, quam dimiseram, uerum etiam rei familiaris, cui nisi consulerem, ipsa quoque studia iacere necesse erat, habendam mihi rationem duxi. quo consilio in patriam reuersus retuli me omnino ad ueteres meas tum legendi tum scribendi exercitationes. sed tum in domestica re constituenda tum in emendandis antiquorum libris districtus, post ea uero etiam erudienda duodecim nobilium adolescentium Academia per triennium occupatus quantulam habuerim excolendae facultatem eloquentiae, quantumque in tantis temporum angustiis per eam, quam ingressus eram, latine scribendi uiam procedere potuerim, facile, ut opinor, est existimare. Nosti tu, Sauli, cuius acies ingenii etiam ea, quae occultissima sunt, assequitur, primum, cuius

una re minus laudandi, quod inter ipsos parum conuenit. orta est inter eos post obitum patris de hereditate dissensio, inde lis, inde odium. quod nisi ego me interponerem, nisi utrumque prensarem rogaremque per parentis manes, per solitudinem matris, per existimationem familiae, conflictarentur assidue turpibus iudiciis, graui iactura famae, magno rei familiaris detrimento. hoc ego dum uersor in negotio, dum in eo studium operamque pono, ut uxoris meae fratribus consulam, putem mihi esse uerendum, ne quis me, sana praeditus mente, reprehendat? non puto. non igitur hoc te iudice pertimescam. hem, Ricci, qui sacris in litteris non ambitione, ut multi, sed ita uersatus es, ut scientiam e libris petitam uita exprimeres, quae sunt illae praeclara, quae nos ille bonarum actionum magister optimus edocuit? non haec sunt: egentibus subuenire, errantes in uiam, dissidentes ad concordiam reuocare? ama igitur me de hoc officio, non postulo, ut laudes. iam enim didici, uel aetate doctus uel morbo admonitus, recte factorum fructum a Deo potius quam ab hominum iudiciis expectare omnemque laudem non in honore uerborum, sed in ipsa re atque in una uirtute constituere. Vides iam duas esse meae commorationis caussas, utramque satis grauem. accedit tertia, ut imprimam librum meum de legibus romanis, quem poscentibus multis debere iam diutius uix possum. eoque magis in hanc uoluntatem incubui, quod inscriptus emittetur Hippolyto Cardinali. Tu, mi Ricci, fac tibi ita persuadeas, amabiliorem mihi Ferrariam fore tua caussa. tuis enim sermonibus, tua humanitate, tuo lepore frui interruptamque multorum annorum consuetudinem licebit aliquando resarcire. quod ut sit maxime diuturnum, opto uehementer et, ut tu amantissime auguraris, etiam spero. Vale. Venetiis MDLVI. [non ante Nouembrem.]

---

2 'patris' Hieronymi Odonii.

XVI.

Ad Antonium Aelium Polae Episcopum in orationis Ciceronis pro P. Sextio Commentarium

(Praef. XII).

Cum alia multa, quae uigebant olim, rerum laudandarum studia periisse atque extincta prorsus esse dolendum est, Aeli, uir optime ac doctissime, tum hanc, in qua sitam omnes uel maximam utilitatem intelligunt, interpretandi rationem ita amisimus, ut ex eorum, quibus nostra patrumque memoria suam hoc in genere industriam locare studium fuit, magno ac infinito prope numero non tamen ita multos, qui tolerabiles uideantur, qui uero excellant, quam paucissimos aut fortasse neminem liceat inuenire. atque huius quidem incommodi culpa unde manauerit, exponam. Primum illud in controuersiam non cadit, quo quidque praestantius, eo laboriosius ac difficilius esse. alioqui nihil iam excelleret. quod enim consequerentur multi, in eo dignitas non esset et ex copia utilitas exsisteret. est igitur in magnis rebus item magna, quae nos ab earum quasi possessione arcet, constituta difficultas. haec porro simplex non est, sed in duo genera diuiditur. quaedam enim, sicuti existimantur, ita difficilia sunt; quaedam cum non existimentur, tamen sunt. ubi difficultas et est et apparet, inde multitudo uoluntatem et studium libenter abducit. rem quidem ipsam, quanti est, opinione aestimamus et uehementer expetimus. magnis uero laboribus et uigiliis ut ematur, non facile quisquam a se ipso impetrat. amat enim hominis natura moderatam quietem eaque alitur et crescit; nimias contentiones, quibus frangitur ac minuitur, recusat. ubi uero facile in speciem aliquid ostenditur, difficultas inclusa latet. cuiusmodi non esse pauca inanis multorum docuit experientia. eo frequentes, bona spe

inuitati, accurrunt facileque ad eas res aggrediuntur, in quibus uel mediocrem operam si ponant, futurum, ut ex animi sententia succedat, arbitrantur. quos deinde graui temeritatis infamia refellit euentus. huius generis haec est, de qua orationem instituimus, ratio interpretandi. quis enim est, qui se non existimet Liuium posse, Sallustium, Virgilium, ipsum mehercule Ciceronem ita commode explicare, ut desiderari ab eruditis beneque intelligentibus uiris nihil queat? atque hi, cum in C. Marii aut in L. Syllae nomen inciderint, si Marii aut Syllae uitam a Plutarcho sumptam in sua scripta totam transtulerint, tum se suas praeclare partes absolvisse existimant, cum interim, in quo doctrinae, quae paullo sit occultior, appareant notae, in quo ingenii lumen eluceat, in quo prudentiae uis aut iudicii signa cernantur, nihil afferunt. exire uidemus quotidie a postremi ordinis hominibus factos, speciosis magnaque pollicentibus titulis insignes minimi pretii commentarios. quos non modo qui scribunt, falsa de se ipsis opinione decepti, uerum etiam qui typis impressos edunt, iis, qui hoc de genere iudicare possunt, inconsultis, quodam modo deformant praeclara studia litterarum et de posteritate ipsa pessime merentur. sed cetera, quae ferenda non sunt, feramus tamen ac dissimulemus, sane multa. commentarios uero illos, qui passim leguntur, in Ciceronis orationes (quem librum? latinorum omnium facile principem) grauem, inquam, illam immensi uoluminis molem quis est, qui ferre ullo modo possit? loca sunt in Ciceronis orationibus male mendis affecta quam plurima, sanari nullum uideas. sunt ob antiquitatis obscuram notitiam difficilia: quis est de tot interpretum numero, qui lumine explanationis illustret? denique communia tantum quaeque omnibus patent, ea sumunt ad explicandum; ex abditis, quo sine labore et ingenio accessus non est, doctrinae fontibus nihil hauriunt, contraque multa corrumpunt

magis, dum emendare conantur; multa explanando peruertunt et pulcherrimas saepe sententias turpissimis inscientiae maculis inquinant. Quae me ita commouit indignitas, itaque meum animum, ut uere dicam, miseratio quaedam affecit, quasi ob illatam uiro optimo egregieque de litteris merito, Ciceroni, qui Romanae terminos eloquentiae longissime protulit, ignominiam, ut statuerim, si cum uita ualetudo et cum ualetudine otium suppetat, triennium aut quod omnino res exiget spatii, in hoc omnium pulcherrimo libro interpretando studiosorum gratia consumere. non quod ego is sim, qui mihi tantum arrogem, ut detractam aliis scientiae laudem ad me transferam: abest hoc a consuetudine mea, abest a natura plurimum. sed neque rursus is sum, qui, cum ceteros probe nouerim, ipse me prorsus ignorem et qui, cum alios incusem propterea, quia non praestant ea, quae ab eorum studio postulantur, ego me, si quid praestare posse mihi uideor, uelim contemnere. non ita laudem fugio, etsi nec nimis appeto. alterum stupidae cuiusdam sapientiae, alterum insanae esse ambitionis uitium semper duxi. neque uero, si quid mihi elegantioribus in litteris assumpsero, longe admodum ab iis finibus, quos modestiae ratio praescribit, discedere mihi uidebor. scis tu, Aeli, pro nostra uetere amicitia et familiaritate, per quot annos, quibus laboribus haec, quae ab humanitate nomen acceperunt, studia semper coluerim. sciebat optime omnium et mihi, cum uiueret, hoc nomine tribuebat plurimum, Bernardinus Maffeus Cardinalis, meus ille in omni mihi uita deflendus Maffeus, Vrbis deliciae, lepor, humanitas, exemplum antiqui officii, flos omnium uirtutum. is amabat haec studia mirifice eaque, quibus poterat rebus (poterat autem plurimis), tuebatur et fouebat. bene autem de hac, quaecumque in nobis est, uel potius quantulacumque est, Latinae orationis facultate existimabat meque quotidie, quantum possem, ut

Latine scriberem, urgebat. et scribebat ipse, ut scis, luculenter et egregie. probabat omnino meum consilium et efferebat, maxime de commentariis in Ciceronis orationes. sed exerceri malebat prius industriam meam in Antiquitatibus Romanis ipso potissimum auctore institutis. interim, ut quasi ex unius partis forma de toto liceret aedificio coniicere, unam aliquam, quae specimen ingenii mei praeberet, orationem subseciuis horis ut exponendam susciperem, hortatus est. ego sumpsi pro Sextio nec multis post eum sermonem mensibus hunc, qui nunc in tuo nomine, Antoni Aeli, apparebit, commentarium absolui. et quod, ille si uiueret, fecissem, ut hoc ei, quidquid est, muneris deferrem, studio meo commotus, illius uirtute impulsus, idem nunc, iisdem adductus caussis, tecum facio libentissime. nam cum amicitia inter nos est, quanta inter duos, quorum et uoluntates et iudicia consentiant, esse potest maxima: tum habes uirtutem, non eam, quae petitur a libris, quae uno scientiae nomine definitur, sed eam, quae oritur ex animi praestantia et multas in se laudes continet, studium in suscipiendis Ecclesiae caussa laboribus, constantiam in perferendis, humanitatem in excipiendis hominibus, benignitatem in subleuandis, comitatem in consuetudine familiarium, grauitatem in congressu et sermone clarorum tuique similium uirorum, denique uoluntatis propensionem ad optima quaeque singularem. itaque te summus ille artium honestarum patronus, decus Italiae, Alexander Farnesius Cardinalis in oculis fert, tibi arcana communicat, tuis in consiliis, si quid deliberandum est, multum, si quid perficiendum, in uigilantia plurimum ponit. tu, quo apud illum Maffeus olim loco fuit, eodem ipse nunc es rectissimamque laudandarum actionum uiam obseruatis Maffei uestigiis ingressus pergis eo fauentibus hominibus, approbante Deo, ubi debitum iis, qui bene ac laudabiliter uixerint, praemium, summa dignitas persoluitur. Mouit

etiam me uehementer illa ratio, quod erat inter nos coniunctio animorum artissima, conueniebant sensus, congruebat uoluntas, praeterea simplices animi et puri, nulla simulationis arte obducti, nulla inuidiae aut maleuolentiae labe suffusi. Quare, quoniam illa Maffei suauitas, illud ingenium, illa uirtus erepta morte, nimium iniquo fato, nobis est (tametsi memoriam illius uiri neque mihi mors neque omnino dies ulla umquam eripiet) et quando, quae illius erant partes in ornandis liberalibus disciplinis, eae translatae ad te uidentur praeclarique muneris quasi uicarius relictus es: ego quoque, quod in illum studii, quod habui uoluntatis ac beneuolentiae (id erat tantum, ut accedere nihil posset), totum illud in te unum, illi quam simillimum, contuli. et qui te antea multis erga me meritis, multis ingenii tui suauitatibus adductus, unice dilexissem, tamen id, quod in amore summum uidebatur, auctum, cum hoc accessit, etiam atque etiam plenissimeque cumulatum intelligo. Tibi igitur offero fructum ingenii mei, in orationem pro Sextio commentarium, operis uniuersi, quod maiores a me uigilias postulat, imaginem. quod ipsum Maffeo promissum, idem tibi, qui eius in locum successisti, iam nunc animo dicamus. uerum hoc serius fortasse praestabitur. de re enim, quod ad me attinet, constitutum est et, ut uides, aggressus iam sum; de tempore is, a quo nostrorum consiliorum pendet euentus, rerum omnium moderator uiderit Deus. Habeo nunc in manibus Antiquitates. eas nisi pertexuero, nihil instituere in animo est. pertexere autem ut possim, duo sunt optanda: ualetudo et otium. quod utrumque assiduis annorum superiorum studiis infirmatus et rei familiaris cura impeditus, nunc quidem magna ex parte desidero. accipe interim hoc, quod adest, argumentum obseruantiae in me tuae et illud, quod aliquando, ut speramus, futurum est, suo tempore exspecta. [MDLVI.]

XVII.

[Petro Victorio] Florentiam (II, 22).

Gratae mihi tuae litterae, gratissimus uero, qui te ad scribendum animus impulit. atque ego te antea diligebam, quod ingressum esse minime uulgarem in uiam litterarum longeque per eam processisse intelligerem. sed auxit amorem in te meum haec a me nunc minus exspectata eoque iucundior uoluntatis erga me tuae minime dubia significatio. soleo enim amare in hominibus humanitatem haud paullo plus mehercule quam doctrinam. ac doleo factum esse antea, casu dicam an uoluntate tua? ut oriatur inter nos quibusdam ex opinionibus dissensio, iis tamen de rebus, quae si dilucide pateant, quod accidere potest utroque nostrum disputante, studiosis fortasse non nihil in eo consuletur, id quod est in meis consiliis et fuit semper antiquissimum. Nam quod mea quaedam improbas: si recte sentis, habeo gratiam. errare possum et corrigi uolo. sin, ubi de meo sensu iudicas, tua te fallit opinio, ego tamen, quae a studio ueritatis culpa manat, libenter ad laudem conuerto. itaque quod ad hanc partem spectat, nemo audiet me querentem. excusabo te potius atque etiam, quoad licebit, ornabo. Quod autem, quae meis in scriptis non improbas, ea dissimulas et in tuos commentarios meo nomine praetermisso quasi noua transfers, miratus sum et requisiui paullisper in eo modestiam tuam. agam enim tecum libere, sicuti natura mea postulat et inter bonos uiros aequum est. Illa de iudiciis extraordinariis, quae te scribis edidisse, si dederis operam, ut ad me perferantur, etsi ea discrepare significas a sententia mea, gratissima tamen erunt. et gaudeo te tam esse diligentem in meis scriptis peruolutandis et occasionem mei admonendi et corrigendi tam libenter quaerere. sic enim intelligam, ubi

corrigendi finem feceris, nimirum, quae supererunt, a te omnia probari. unum peto: sit condicio par. des mihi, ut idem liceat per te, quod licere tibi per me uolo. si quid ego de tuis itidem non probauero, noli grauius commoueri. iudicemus pariter, ego de te, tu de me, utram in partem libet. amemus tamen inter nos, ut boni uiri solent. et, si quid fortasse de iudicio, nihil tamen de beneuolentia detrahatur. Libros, quos petis, habeo nullos Cicerone excepto. nec eius generis nunc quidem tibi quidquam polliceor. quae uero ipse composuerim, paucis mensibus habebis, si ualebo, commentarium in epistolas ad Quintum fratrem et librum de legibus romanis, qui est antiquitatum mearum sextus. de Sextiana oratione . si scriptam contuleris cum impressa, quaeque loca uaria sunt, miseris, amabo te idque ut facias, rogo. Vale, Venetiis (MDLVI—MDLVII).

XVIIII.

Ad Alfonsum Carafam Antonii Marchionis Montisbelli f. in suos Commentarios Ciceronis Epistolarum ad Qu. fratrem (Praef. XI).

Si, suo quaeque res merito penderetur, Alfonse Carafa, hominum esset in uirtute uigilantium praeclara condicio, contraque, quos auersa a ratione uoluntas ad malas artes et flagitiosa consilia traducit, cum iis pessime semper ageretur eorumque docti exemplo sapientius deinde alii non modo suis, uerum etiam publicis rationibus consulerent. itidem enim, ut e corruptis seminibus uitiosae fruges, sic a malis exemplis improba studia et a laudabilibus optima

nascuntur. uerum hoc totum secus est. quippe non modo ad reprehendendum, quae reprehendi iure possunt, procliuiores, quam ad laudandum, quae laude digna sunt, omnes fere sumus nec satis aequa lance turpe et honestum examinamus, quae debemus pariter, alterum odisse, alterum diligere. sed etiam saepe facimus, ut eas res easque actiones, quarum caussas ignoramus, quaeque recte ne an secus fiant, diiudicare non possumus, accusemus tamen acerrimaque uituperatione, quae interdum efferri laudibus oporteret, ea deprimamus. Ac ne me putes, Alfonse clarissime, huius initium sermonis temere detulisse, ego nunc, si nescis, meam, meam dico? immo uero communem utriusque nostrum caussam ago. aut enim uterque agimus egregie aut uterque similiter peccamus. audis ne tu uoces in latinae linguae nomen irrumpentes hominum obtrectantium, qui rei pulcherrimae scientiam reprehendant, qui nos derideant ludosque faciant atque etiam, si diis placet, odio dignos existiment, quod operae tantum ac temporis in hoc tam nobili studio collocemus? tu fortasse non audis, totus in litteris abditus, multorum a consuetudine seiunctus, aut, si audis, negligis, opinor, magnis non tam fortunae, in qua tamen ipsa multum inest, quam rerum omnium laudabilibus praesidiis ad omnia munitus. me uero, humilis hominem loci, hac una tibi Romani sermonis cupiditate parem, ceteris rebus omnibus inferiorem, ista fere, quae feriunt aures meas, uehementer commouent. non quod ea, quibus utuntur, argumenta firma sint, quae ostendam esse inania, sed quod, ut eam quisque uirginem, cuius amore flagret, intactam ab iniuria, puram ab omni labe uelit, sic ego quasi lutosis maculis adspersam ac foedatam eloquentiam, quam semper dilexerim, cum ego adspicio, sensibus intimis afficior sic, ut ferre non possim. Obiiciunt illud primum: quatenus aliquid cognosci possit, eatenus in eo laborandum. Latinam linguam

obsoleuisse iam et extinctam paene totam esse. quam enim hodie nationem, ut omnes animo perlustrentur, Latina loqui? quod uero ex ea supersit in libris, minimum id esse, tamquam aliquod inane simulacrum corporis exanimis. quocirca neque sciri perfecte, cum exiguam partem libri contineant, neque pronuntiari decenter, cum sermonis usus euanuerit, a nobis posse. Secundo loco statuunt: ut absolute percipi, quod negant, Latina lingua possit, mirari se tamen etiam atque etiam, cur industriam in ea discenda tam diuturnam ponamus. uitio quidem id fieri uoluntatis et iudicii. dignitatem in re tantam non esse, ut haerere per tot annos in hoc studio debeamus. Concludunt postremo: ut de perfecta cognitione, de dignitate ac praestantia concedatur, tamen esse, cum ea pulsa successerit alia, minime necessariam. haec isti; quae specie aliquid uidentur: ego re nihil esse, si quando me praesente disputantur, concedo. Conuenit inter nos esse aliquid in omnibus facultatibus atque artibus extremum. quo nostra studia cum peruenerint, quiescendum. sed hoc extremum quibus terminis metimur, rei ne natura, an uulgi opinione? si opinione uulgi, licet propemodum otiose uiuere: mediocria, quae putantur excellere, quaeramus. id satis est. illa summa, ubi summum decus habitat, quae uulgus ignorat, omittamus. sin extremum illud esse uolumus, quo peruentum cum est, progredi longius non licet, moderata studia non dantur. perfectam enim scientiae laudem adipisci maximi operis est. itaque hoc extremum, quod, opinor, Natura nouit una, sapiens nemo umquam se putauit esse consecutum. exstant litterarum clarissimis testata monumentis, exempla summorum philosophorum. qui cum aetatem in abditarum rerum perscrutanda notitia contriuissent multaque partim legendo partim cogitando praeclara et eximia reperissent, latere tamen adhuc magnis inuolutam difficultatibus ueritatem et aliquid sibi atque

adeo multum esse quaerendum existimabant. eadem nunc aut certe similis admodum nostra ratio est. quaerimus id, quod in Latina lingua perfectum putamus. non assequemur: esto; uerumtamen, quo plus, ut assequamur, contenderimus, eo scilicet propius, si quid studio proficitur, accedemus. At laboris et industriae terminus tamen statuendus aliquis est. Concedo; sed hoc quidem, si diligenter attendatur, nihil aliud est, quam perfectum ipsum definire. hoc enim ad unum nostri labores intenduntur, hoc unum nostra spectat industria, perfectum autem ipsum ego mihi ab hominibus imperitis certe definiri nolo. definiant ii, quibus utor magistris, Cicero, Caesar, Terentius, Plautus. quorum ex libris, quae Latinae linguae sit elegantia, quae ubertas, quae uis, facile possim intelligere. quae si, non dico quanta sunt (immensa enim esse uideo), sed si ea mihi magna ex parte comparassem, modum fortasse facerem studio meo. sed, ut inter hos, qui nunc homines uiuunt, aliquid esse uideamur, nihil tamen, si uere de nobis ipsis iudicare uolumus, prae illis, quorum exstant satis multa scripta diuinitus, nihil, inquam, plane sumus. Quare quod ad scribendum attinet, habemus abunde, quod imitemur. De pronunciatione uero minimum laboro. quid enim? an putamus in iis ipsis, qui tum Romae uiuebant, eandem pronunciandi rationem fuisse? non fuit. confluebant in urbem, illecti spe summorum magistratuum, quod habuit illis temporibus praemium eloquentia, oratores ex uniuersa Italia; caussas agebant Romani homines pariter atque peregrini, sono uocis dissimiles, pronunciatione diuersi. suam tamen quisque pro eo, quantum quisque ualebat ingenio, laudem ferebat. si Curibus educatum aut Arpini orantem in Foro audires, Sabinum statim aut Arpinatem agnosceres. neque tamen a forensi opera et a iudiciis propterea quisquam est exclusus, quia minus Romane, hoc est quia minus apte minus ue decenter

pronunciaret. nunc ipsum in hac, qua Itali omnes utimur, lingua est ne omnium in disiunctis et longinquis urbibus simillima pronunciatio? mehercule ne in iisdem quidem. Venetiis enim (domestico utar exemplo) aliter in urbe media, aliter in extrema loquuntur. quapropter nimis iniusto priuilegio damnabitur Latina lingua, si, quod in ceteris linguis usu uidemus euenire, ut non modo diuersis, uerum etiam iisdem et temporibus et locis non similiter omnes pronuncient, id ei praecipuum apponatur, cuius etiam magnis ac praestantibus meritis aliquid largiri tum humanitatis tum aequitatis esset. Secundum erat de dignitate, in quo non tam equidem, quid ipse respondeam, quam quid istos in hanc mentem impulerit, quaero. Ita ne? dignitatem Latinae litterae non habent? humiles et obscurae sunt litterae illae, quae populi Romani nomen extollunt atque illustrant? quae summorum Imperatorum fortiter et praeclare gesta per omnes gentes cum laude disseminant? quae maiores opes, quam ulla umquam lingua, maiora suorum meritorum praemia in orbis terrarum domina ciuitate sunt adeptae? sed ineptus sim, si me patronum Latinae linguae profitear, quae tantum possidet eloquentiae, ut, ipsa suam caussam si agat, facile se ab aduersariorum calumnia uindicare possit. nunc quod isti postremo loco argumentum, quasi postrema in acie subsidium firmissimum collocant, uideamus, in eo quantum roboris ac neruorum sit. plus enim est fortasse, quam ut contemnere, minus certe, quam ut pertimescere debeamus. Nusquam, inquiunt, uiget usus Latini sermonis: aliter nunc omnes loquimur. id uerum est. si quid igitur in Latinam linguam studii confertur, opera non bene ponitur. hoc falsum. duplex autem est, quo utor, ratio probandi. primum illud suscipio ac defendo: non, quaecumque necessaria non sint, propterea spernenda esse omnia atque explodenda; deinde, si spectetur utilitas, ita Latinam utilem esse

linguam, ut etiam necessaria uideatur. Quae sunt, quae uere et proprie necessaria dicimus? nimirum ea, quibus carere nullo modo possumus. huiusmodi sunt primum elementa, deinde, quibus famem frigoraque arcemus, uictus, uestimenta, aedes aut ea, quibus haec parantur. praeterea in publicis rebus leges et magistratus, in priuatis seueritas et uigilantia. ex hoc numero Latinam certe non esse linguam facile concedo. neque enim is ego sum, qui libenter cum ueritate pugnem. sed praeter haec, quibus hominum uita sustinetur et regitur, quam multa sunt minime necessaria, quae tamen habemus in deliciis, quae amamus, quae etiam honore prosequimur? gemmas et uasa pretiose caelata, columnas marmoreas, laqueata tecta, sericas uestes, textiles picturas, artem in uocibus et fidibus, odores in unguentis, condimenta in cibis, haec certe atque huius generis sexcenta, non ut necessitati pareret, sed ut sensibus satisfaceret, inuenit industria. quae quin habeant iucunditatis et ornamenti plurimum, nemo negat. quod si, quae sensus iuuant et laboriose quaesita sunt et retinentur accurate, quanto nobis ea, quae animum oblectant, potiora debent esse? pascitur animus magnitudine rerum. quid Liuii sublimius historia, quae populi R. bellicam uirtutem commemorat? grauitate sententiarum quis Cicerone prudentius, quis eruditius disputat? elegantia uerborum et copia quis eodem ornatior, quis uberior? uarietate scriptorum quod genus Romanae litterae desiderant? poetas habent egregios, historicos, oratores, philosophos etiam excellenti doctrina claros. quae si uera sunt (sint necne, res ipsa declarat, ambigere non licet) et si uoluptatem studiosis Latina lingua parit incredibilem, possum istis tribuere, quod uolunt. necessariam uulgo non esse, dum ipsi contra, quod ratio postulat atque exigit, hoc mihi tribuant, amandam esse uehementer atque expetendam. sed haec ad eam, qua legendo fruimur, uoluptatem pars attinet:

nunc, quod eram alterum pollicitus, de utilitate uideamus. Omnes linguae aliarum admistione linguarum, si moderata sit, augentur, si nimia, corrumpuntur atque intereunt. quod enim recipitur, id esse debet eius modi, ut recipientis naturam sua ui suaque magnitudine non exsuperet. itaque sermo hic noster Italicus multas Gallici sermonis, multas Hispanici, quasdam aliarum nationum habet partes. caussam si quaerimus: non alia, quam earum gentium interuentus et consuetudo fuit. quod si Gallorum aut Hispanorum immensa multitudo (exempli caussa dictum a me sit, omen quidem inane esse uolo), sed si earum nationum maior aliqua uis in Italiam irruperit ac permanserit, maior simul inducetur Gallici aut Hispanici sermonis usus et fortasse aduenticium illud usque eo ualebit, ut hoc domesticum uincat suisque sedibus expellat. quod olim Romanae linguae contigit, quam multarum aetatum spatio, multis maximarum rerum adiumentis auctam atque confirmatam diuersis tamen populis Italiam occupantibus diuersarum linguarum impetus oppressit. Cum igitur lingua linguam amplificet nostraque haec Italica, non multis abhinc saeculis orta nec admodum liberaliter praemiorum nutrimentis educata non ita dum adoleuerit, ut suis contenta uiribus esse possit, statuo sic atque concludo, accessionem ei fieri maiorem non posse, quam si cum Latina coniungatur. non modo quia nulla plenior aut ornatior, uerum etiam, quia nulla similior. ex quo sequitur, ut ad coeundam cum ea societatem nulla commodior. Est igitur litterarum Romanarum cum per se laudabilis admodum et iucunda tractatio, tum uero, si quidem hunc ipsum, quo nunc utimur, auctum exornatumque sermonem cupimus, magnopere necessaria. Atque haec tu quoque uides, Alfonse ingeniosissime, tuumque iudicium cum mea sententia coniungis. itaque, cum a prima pueritia ad eloquentiae Romanae cupiditatem incumbere coepisses, postea te

non ambitio, quae saepe praeclare iacta fundamenta uirtutis euertit, non commodum, non illa bonis artibus inimica uoluptas ab hoc studio deduxit. ac ne nunc quidem langues, cum tamen omnia uideas ardere bello armorumque strepitu aures tuae quotidie personent. quin, dum patrui tui, Carolus Cardinalis et Ioannes Palliani dux, uterque ob uirtutem immortalitate dignissimus, maximeque pater tuus, Antonius Marchio Montisbelli, natus ad omnem gloriam omnique princeps laude cumulatus urbem Romam et iura Pontificia tuentur, partes in bello quisque suas consilio, uigilantia, fortitudine ita explent, ut antiquam maiorum suorum consuetudinem referant, ipse te interea contines in tuis perennibus studiis animumque tum aliis magno Principe dignis uirtutibus, tum uero maxime excolis eloquentia, doctorem in ea ducemque nactus diuino quodam munere uirum excellentem, Ioannem Paullum Flauium, qui te nouo quodam planeque admirabili genere disciplinae, abductum a uulgi erroribus per directam semitam ad eximium illud ueteris Romanae linguae decus facile ducit, quo uel cum summis laboribus ac uigiliis adspirare pauci aut fortasse etiam nemo potest. quamquam me nonnumquam de statu Latinae linguae cogitantem miseratio quaedam cum acerbo dolore tangit. quod ita futurum animo cernam, ut haec per tot iam saecula, a tot ingeniis tam diligenter culta Latine scribendi ratio, quae parentem nostram Italiam nobilitauit, quae tot in nos merita contulit, aetate demum nostra, nisi remedium aliquod diuinitus exstiterit, suam honestatem omnem neglecta prorsus in perpetuum amittat. quod si rebus inclinatis iam iamque cadentibus opem ferre quisquam potest, unus est Paulus IV., Pontifex omnium optimus idemque diuina potius quam humana sapientia praeditus. unus, inquam, aut nemo umquam et Latinam linguam et laudabilia quaeque studia ueterem in dignitatem uindicabit. qui cum frater fuerit aui tui

cumque illum una uirtus ad eum gradum extulerit, unde humana omnia despicit, supra casus omnes, supra fortunam ipsam collocatus, hunc te decet imitari, huius uitam perpetuo sanctissimeque traductam, huius omnia facta, consilia, instituta tibi ante oculos ponere. uides pietatem erga Deum et in auctoritate Pontificia, idest in ipsa religione tuenda firmitudinem animi atque constantiam; uides multiplicem rerum humanarum diuinarumque scientiam, trium uero linguarum, Hebraicae, Graecae, Latinae, cognitionem paene singularem. eloquentia uero prorsus eum excellere omnes fatentur, qui quidem ita quacumque de re non modo copiose, uerum etiam eleganter ac diserte loquatur ex tempore, ut ei non arte quaesita, sed a natura donata uideatur eloquentia. hunc igitur sequere et in illius uestigio pedem statue. ipse enim Deum secutus est, cum eam felicitatem, quam plerique mortales ignorant, animo cogitaret. quem tu quoque finem spectas, ut audio et ob eam caussam futurum homines augurantur, ut eius dignitatis, quae summae proxima est, insignia breui omnino consequaris. quod cum euenerit, laetabor primum tua, deinde communium studiorum caussa. qui enim tuos impetus ad laudem nunc uidemus tuosque plane sensus intelligimus, an, ubi ad istam uoluntatem auctoritas atque opes accesserint, fore dubitemus, ut a te ipso dissentias? Praestabis, Alfonse, tu quidem alia praeclara, te ipso scilicet digna tuaque familia, in qua florere uides heroes permultos, gloria circumfluentes, uirtutis in studio defixos. maxime uero gratiam referes optime de te meritae Latinae linguae eamque paullatim Italia cedentem et ad transalpinas nationes magno nostro dedecore migrantem in suam sedem domiciliumque reuocabis. Cuius gloriae caussa, si monendus es, monitorem ad te, sin rogandus, supplicem uolui mittere commentarium hunc meum in epistolas ad M. Brutum et ad Qu. fratrem. qui cum tibi

studia commendat eloquentiae, in quibus ego per tot annos, utinam cum aliqua laude, magno certe cum labore uersor, commendat simul, paullo tamen uerecundius, se ipsum et uigilias meas, quarum fructus mihi erit uberrimus tum beneuolentia tum iudicium tuum. Quaesiui omnino idque mihi primum fuit, posteritatis utilitatem, quod est proprium familiae nostrae; sed in te ipsum simul, cum huic operam commentario darem, spectaui. tu si probas ea, quae litteris mandamus; si faues industriae optimeque te esse animatum erga mea studia significas: ego me, quae summa sunt, omnia consecutum putabo. [MDLVII.]

XIX.

Hippolyto Estensi Cardinali Ferrariam (III, 1).

Valde me leuauit in hac mea satis grauiter affecta ualetudine oratoris uestri, Hieronymi Faleti, uiri praestantis, oratio. qui cum sermonem mihi Ferrariae tecum habitum exposuisset multaque, ut solet, de ingenio tuo singulari, de summa grauitate ac sapientia, nonnulla etiam de tua nequaquam a me, ut audieram, aliena uoluntate narrasset, cepi laetitiam, quantam aliquis ex insperata exoptataque re capere maximam possit, measque statim esse partes duxi, ut ad te scriberem ageremque gratias, quod in eo loco, unde me depellere fortuna conaretur, tua me retineret humanitas. quo sane mihi nihil optatius, nihil hoc tempore, cum infirmus langueo, ad animum meum sustentandum opportunius potuit accidere. atque equidem ita statuo, actum esse mecum misere prorsus atque infeliciter, quod meam ad te ueniendi cupiditatem incredibilem pestilentia primum, deinde morbus impedierit et in

o magnum studia mea measque res adiisse damnum, uibus a te pro tuo instituto ueterique consuetudine onsultum iri optime pro certo existimabam. quod uando ita accidit et quando me a tuo conuictu non iea uoluntas, non iudicium aut ulla mentis incontantia, sed corporis imbecillitas atque haec anniuerarii ac paene iam perpetui morbi uis importuna eiungit, peto a te, Princeps humanissime, id saltem, uod in tua, non in fortunae manu situm est, tribuas t largiare, ut beneuolentia mihi tua et, quae fuit intea et, quae, si ad te iuissem, futura erat, eadem onseruetur. hoc si assequor, beatus hac una re sum, etera paruipendo. ea porro mihi ut conseruetur, ta postulo, si me, qualis in aula tua fuissem, talem sse absentem intellexeris, idest obseruantem tui uaque in laude omni studio et cogitatione defixum. Quod si quibusdam litteris animus a me tuus est ffensus, quod in iis dicar minus fortasse, quam deuit, de te aut de tuis modeste locutus, quod certe ecus est, sed si me tunc a mea consuetudine impetus uidam abduxisset. iracundiae: nosti pro tua sapientia ngenium humanum. magna uis doloris est. impellinur saepe longius, quam ratio concedat et, facta quae unt, paullo post infecta frustra cupimus. te tamen ta decet ignoscere dolori meo, si ex iusta, ut ego rbitror, caussa susceptus est. sin aliter tibi uidetur, gnoscere tamen debes, ut eluceat magis in culpa umanitas. quae si omni digna Principe uirtus est, e uidetur Principe dignissima, quem ad omnem audem natura genuit, disciplina erudiuit, multoum annorum consuetudo assuefecit. Vale, Venetiis. MDLVIII.]

XX.

Antonio Augustino Romam (II, 8).

Nisi quis casus meis consiliis occurrat, editionem cogitabam eius libri, quem de legibus Romanis quinquennio ante a me conscriptum debere diutius multis flagitantibus non possum. ad hunc librum quantum ex antiquis lapidibus accedere possit ornamenti, praeclare intelligo. porro tu is es, qui hoc in usu atque hoc in genere scientiae, tum quia Romae uiuis, tum quod in studiis totus haeres, paene solus excellas. quamquam hoc in tuis laudibus minimum est: alia sunt in te, quae ego non desino praedicare, haud sane paullo praestantiora. quae non est hic commemorandi locus ac ne significandi quidem, ne tu me nimium esse blandum et quasi tuae diffidentem humanitati ad hoc artificium confugisse existimes. peto igitur a te atque etiam rogo, quamquam hoc uerbum amicitia nostra tuaque maxime bonitas respuere uidetur, si quid habes, quod ad leges Romanas pertineat, e libris excerptum et ueterum lapidum aut etiam nummorum obseruatione collectum, id mihi ut impertias. bene mereberis de litteris uel potius bene de te meritis gratiam referes, quandoquidem earum ope ac merito tantus es, bene etiam de me ipso, cuius laudi pro nostra necessitudine meoque erga te studio singulari debes uelle consulere. quamquam hoc ego certe non admodum specto. ambitionem enim paene habeo in extremis: prima mihi est omniumque rerum antiquissima publica studiosorum hominum utilitas: quo mei labores intenduntur, mea, quaecunque est, dirigitur industria. excute, si me amas, atque euolue funditus illa tua scrinia, in quibus conditi rerum antiquarum thesauri asseruantur. nemo enim, si possessio litterarum diuitiae sunt, quod homines eleganti iudicio sanaque praediti mente opi-

ntur, nemo, inquam, optime Augustine, te ditior ,. nec uero de tuis copiis multum imminues, si, od futurum speramus, inopiae nostrae subueneris. i si etiam nobiscum plurima communicares, multo tamen, quod dares, minus esset, quam quantum ›i libris assidue tractandis quotidie quaeritur. ue-m modeste tecum agimus, petimus a te minima maximis itaque facile impetrabimus. Vale, Vene-s. [MDLVII.]

XXI.

Mario Corrado Brundisium (II, 12).

Debeo tibi, mi Corrade, tot iam nominibus, orsus ut non uideam, qui soluendo esse possim. :ipsisti ad me saepe. tantum ne? sunt alia: huma-ssime, elegantissime. laudes in me contulisti eas, as si agnoscam, ipse me nimium uidear amare. ›i tamen habeo gratias de ista tam liberali tamque ga me prolixa uoluntate eamque, si gratus, idest si : bonus esse uolo, ut certe uolo, puto mihi esse ;er summa beneficia collocandam. itaque, cum te mquam uiderim, fero tamen in oculis et, quam-am habeas, qui te talem diligant, quos necesse est ıe quamplurimos, ego tamen primas in amore par-: appeto, secundis non libenter acquiesco. non soleo ındus esse nec auribus dare, quod negari possit ritati. quare uelim mihi credas affirmanti neminem › tibi Latina in oratione anteponere, conferre ad-›dum paucos. hoc ego ita iudico; nec tu meum licium in dubium reuocare debes, cum mihi iam epistolis tuis tantum in hoc genere tribueris. um doleo, tuam istam latere uirtutem in extremo liae angulo neque in hac luce uersari, ubi fructum

capperes eam laudem, quae tibi debetur iudicio ac testimonio praestantium uirorum. quod si te cohortando possem adducere, ut de migratione cogitares: aggrederer et in hanc rationem totus incumberem. uerum neque mihi de statu rerum tuarum constat et, si cohortatione moueri potes, ipsa te res nequaquam tibi, ut opinor, obscura uel me tacente debet incitare. Quod scire uis de meis antiquitatibus, haec sunt: liber nunc imprimitur de legibus, quem, cum erit absolutus, curabo ad te perferendum. edidi iam commentarium in orationem pro Sextio et proximis diebus in epistolas ad Brutum et ad Quinctum fratrem. quem tibi nunc utrumque mitto. maiora uellem et fortasse possem; uerum infirmitas corporis facit, ut labore debiliter, lippitudo autem, ne legere diutius liceat aut scribere. magnam etiam mihi temporis partem eripiunt salutationes amicorum, magnam domestica negotia, sexcenta praeterea, quae me a studiis auellunt. sed feramus: humana sunt nec praecipue nostra, sed communia cum multis. Tu me uelim ames et, si par pari referre uis, amore non uulgari. Vale, Venetiis. [MDLVII.]

XXII.

Mario Nizolio Parmam (II, 3).

Epistola tua, mi Nizoli, ut amici hominis ac uehementer amandi, summa me uoluptate affecit ac meam uehementer incendit cupiditatem Parmam adeundi. non quod urbs aut urbis ornamenta me mo-

---

10 post 'perferendum' in prima editione legebatur: sequetur de ciuitate aut de comitiis; tum reliqui libri, ut extrema cuique manus imponetur. sunt enim omnes decem, nec mihi ordinem in edendo praescripsi.

ueant (alii haec mirantur, apud me uulgaria sunt), sed aueo incredibiliter patronum ueterem meum, meum dico? immo uero litterarum ac studiosorum omnium ipsumque litteris excellentem, Alexandrum Farnesium Cardinalem salutare. quem cognoui Romae et colui puerum adolescens eximia iam tum indole praeditum et earum laudum principiis, quas deinde auctus aetate simul et iudicio perfecit, magna exspectatione florentem. quo quidem tempore uehementer urbs ipsa excitauit me atque acuit in studio liberalium disciplinarum, adspectu ipso antiquitatis et multiplici ac uaria hominum eruditorum scientia. sed ut ingenue fatear, proprie me expoliuit aula Farnesii moribus ac litteris, cum uiuerem coniunctissime ac familiarissime cum duobus praestantissimis uiris, Marcello Ceruino et Bernardino Maffaeio, quorum alterum Pontificem maximum, alterum Cardinalem, utrumque immortalitate dignissimum aduersa bonis artibus iniqua mors eripuit. Quare quod me Parmam uocas et multis uerbis inuitas amantissime, non me litterae tuae sopitum excitarunt, sed currentem potius, ut aiunt, incitarunt. quod utinam cum uoluntate cetera congruerent: iam iamque uobiscum essem. sed uides anni tempus, uides itinerum difficultatem; scis, quam imbecillo sim corpore, quam tenui et ad incommoda iniuriasque caeli perferendas parum apto. timeo etiam a militibus, a quibus otium non est. excurrere enim dicuntur et praedas facere. non igitur ueniam, cum a uobis diei unius uix absim interuallo? ueniam, opinor, quaeque aduersantur et impediunt, contemnam omnia. uolo omnino meis oculis Farnesio uidendo satisfacere; uolo hanc a me ipso gratiam inire et salutationis officio, expedito sane ac debito, perfungi. Te uero, optime ac doctissime Mari, cuius consuetudine et sermone careo multis abhinc annis, quem mihi tamen ex animo numquam eripuit neque tempus neque longinquitas, quo studio complectar? quantam

hauriam, cum praesens praesentem alloquar, uoluptatem? dilexi equidem, a quo primum die te cognoui, tuos mores, tuam naturae comitatem ac suauitatem. doctrinam uero, ingenium, industriam suspexi semper extulique laudibus ad caelum. nec iniuria. nam si Romanae linguae studium colere et illustrare laus est: quis hoc te uno aut curauit studiosius aetate nostra aut cumulatius praestitit? ego ipse, quem tu esse aliquid uis in hac Latine scribendi facultate — in quo uereor, ne te fallat amor, nam iudicium in dubium uocare non debeo — sed, si quid sum, quadam ex parte de tuo fonte fluxi. thesauros enim Ciceronis omnes in illo praeclaro tuarum obseruationum libro congestos reperi et usus sum facile. quos colligere dispersos immensi laboris fuisset ac temporis. Laudas igitur beneficium tuum, cum me laudas et quodam modo praemia capis meritorum tuorum. De loco in oratione pro Sextio disputas erudite nec a iudicio tuo mea discrepat opinio. quiddam tamen superest, quod me leuiter pungat. qua de re cum erimus inter nos collocuti, uel ego tuam sententiam, ut ueram, uel tu meam sequeris gratiae saltem caussa. Vale et Farnesio Cardinali simulque Antonio Mirandulae, Episcopo uni omnium doctissimo atque humanissimo, meis uerbis salutem plurimam dicito. Asulae [MDLVII].

XXIIII.

Vincentio Stellae Brixiam (II, 16).

Superioribus diebus, quo magis incitabar cupiditate ueniendi ad te uisendaeque urbis, ut audio, pul-

23 'Episcopo' Casertae. — 25 'Asulae' Paulus Manutius in eo oppido, in quo frater eius maximus natu, Manutius de Manutiis, sedem ac domicilium posuerat, aliquoties cum suis aestatem degit.

cherrimae, qui essem litteris et tuis et filii tui, idest utriusque tuis, amantissime inuitatus, eo me reuocabat magis pudor meus. neque tam, quid tua permitteret humanitas, quam quatenus mihi per modestiam meam progredi liceret, cogitabam. ac saepe mecum sic: An tu ad hominem, quem numquam allocutus? quem ne uidisti quidem? adde quem uirum, quam nobilem, quam grauem, quam districtum magnis rebus? ego autem quis? infirmus natura semper, nunc etiam ualetudine impeditus, exquisita quadam ratione et cura tuendus. Contendebam equidem cum animo meo, nec uici facile, sed uici tamen aliquando et decreui omnino ad uos primo quoque tempore me conferre. uereor enim, dum ualetudinis commodum exspecto et id ago, ut, quas morbus ademit, uires colligam, in hiemem ne incidam, idest in imbres et frigora, quorum altero uires corrumpuntur, alterum scis esse *λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον*. nam illud, in quo tibi fortasse uel domesticis tuis incommodare mea mollities et paullo fastidiosior in uictu consuetudo potest, id non specto. aut enim exiguum quiddam erit et feretur facile, aut, si magnum, illustrabit benignitatem suam. Statutum igitur de re, nec est, cur sententiam mutem: uidendum de ratione itineris, quam tu ad meam uoluntatem meumque consilium, quae tua est humanitas, totam reiicis. ego autem nihil puto commodius, nihil aptius ad uirium infirmitatem sustentandam, quam lecticula gestari. sed habet species illa, quod ad Fabium tuum scripseram, quiddam nimis honorificum. nec ego is sum, qui, quod superat fortunam meam, eo libenter utar. uerum ignoscetur ualetudini, quam satis infirmam atque imbecillam concussus et uexatio facile frangeret. rheda quidem, qua mearum bene perita curationum ancilla cum filiola et puero uehatur, opus est. haec si habebo, uel potius cum habebo (uis

34 'ancilla' Margaretha, natione Slauonica.

enim me a tua liberalitate omnia exspectare), dabo me statim in uiam et ea quidem spe, ut aliquem e caeli mutatione fructum capiam, maximum quidem ex tua humanitate, quam cantari ab omnibus audio. Vale, Asulae [MDLVII, mense Octobri].

XXIV.

Dionysio Lambino Patauium (IV, 22).

Neque negare audeo tibi, homini eruditissimo, cuius ego plurimi semper amicitiam feci, neque, si pollicear, praestare possim id, quod a me petis. premor enim domesticis oneribus et typographiae cura, sic mehercule, uix ut sustineam. uacuae tantum ab opere mihi relinquuntur horae uespertinae. sed eo tempore tum defatigatus laboribus ac fractus quietem quaero necessariam. tum uero succedit oculorum dolor isque ita grauis, non modo ut legere aut commentari, sed nec domesticos audire sine magna molestia possim. ita nobis traducitur dies atque etiam noctis maior pars. non enim prius hac leuamur capitis grauedine, quam sol medio iam Antipodum orbe decurso incipit ad nos recurrere et in ortu suo demum ualetudinem mihi alacritatemque restituit. quod si respirare aliquando licebit, aures tibi meae patebunt, non in horas modo, sed in integros etiam dies. quid enim mihi iucundius, quid etiam utilius, quam tecum de litteris agere tuaque maxime tractare scripta? de quibus quid existimem, Muretus noster testis est. nam, cum ad me octauo, opinor, abhinc anno in Iudecae suburbano habitantem, ignotum antea de facie, uoluntario adductus officio adiisses, humanitatem simul

et doctrinam tuam eadem hora perspexi. tunc ego te coepi et diligere et praedicare, nec desinam utrumque facere, quam diuturna mihi dabitur usura uitae, quandoquidem nec tu desines esse tui similis, idest cum optimus uir officioque excellens, tum uero tantus in uirtute, quantum cum egregia natura singularis industria potuit efficere. Interim peto a te, meis ut occupationibus ignoscas et uoluntatem in te propensam, licet absit res, tamen ames. Vale. [MDLVII aut insequenti anno.]

XXV.

Marco Antonio Lombardino Patauium (II, 26).

Scis, optime Lombardine, benignitatem a philosophis, magis etiam a Christianis hominibus laudari. recte id quidem; nihil enim est, quod hominem aeque cum Deo coniungat. sed illa cautio requiritur, ut adsit cum uoluntate prudentia. thesauros plerumque uideas in aliquem conferri ab iis, qui dominantur. quaere caussam: laudabilem nullam reperies. quis igitur beneficium illud praedicabit, in quo neque meritum accipientis neque iudicium dantis agnoscitur? Equidem pro magnis opibus existimo hesternam illam animi tui significationem. quod enim ad me munus misisti, tum est ipsum per se gratum, quia pertinet ad ea commoda, sine quibus imbecilla ualetudine qui sunt, aegre sustentantur, tum uero multo gratius, quia iudicii tui laude commendatur. nisi enim tibi meae uitae ratio, nisi ea, in quibus assidue uersor, studia probarentur: me tu certe, qui probabitatem colis, qui doctrina ingenioque excellis, beneficio non afficeres. quando igitur ex ista tua in me liberali uoluntate, quid de meis moribus, quid de litteris sentias, facile

possum conicere, contemno Principum diuitias, beatus esse possum in tua beneuolentia, unde honor et decus, unde praeclara uirtutis argumenta, unde etiam commoda manabunt. quare conserua mihi, si uis me felicem esse, tuum amorem, quem certe intelligas mihi deberi, si tibi, mea quae sint erga te studia, liceat intueri. Illa uero, quae a tua benignitate proficiscuntur, persuade tibi hoc potissimum nomine, quia sunt amoris argumenta, mihi esse carissima. neque ego te umquam ex beneficio, sed beneficium semper ex te ipso pendam. Librum de Magistratibus, quem petieras, habeo absolutum, nondum tamen edendum. itaque comprimitur, usque dum accurate perpoliam. prooemium degustabis, quod ad te cum hac nocturna epistola statui mittere. Vale. Ex aedibus nostris ante lucem. [Aut anno MDLVIII aut non multo ante.]

Prooemium libri de Magistratibus Romanis.

Quod in priuata domo pater familias, idem in ciuitate praestat lex. ille praecipit filiis, quid agant et qua ratione agant; haec iura ciuibus mandat et ad pietatem, ad rectum spe praemiorum inuitat, a delicto proposita poena deterret. quemadmodum autem rei priuatae non hoc uno consulitur, si sit, qui imperet, uerum illud praeterea requiritur, ut imperanti domestici omnes pareant: sic in ciuitate, nisi legem aliquis tueatur et, ut ei ciues, quasi parenti optimo filii, audientes sint, potestate imperioque perficiat, non est in ipsa lege praesidii satis optimeque ac laudabiliter uiuendi praescripta norma negligitur. quo fit, ut tam legi necessarius uideatur esse magistratus,

quam lex ipsa ciuitati. Ac mihi hoc de genere consideranti longe uidetur optabilius esse, ut iniquae legi praesit optimus magistratus, quam ut improbus aequissimae. nam si summam potestatem cum optima mente coniungas, uir bonus in iure dicendo praeter aequabilitatem et iustitiam nihil spectabit; si quid erit in lege uitiosum, pro sua sapientia corriget; si quid ambiguum, in eam partem interpretabitur, quae ad pietatem, ad communem ciuium utilitatem ad reipublicae salutem, propensior esse uideatur. sin autem, qui non optime sunt a mente constituti, iis potestatem addas et uoluntatem uiribus confirmes, legis uocem magistratus non exaudiet, quid maiores uoluerint, sanxerint, seruarint, non attendet, ad suum arbitrium suamque libidinem omnia reuocabit. quod cum faciet, rei publicae, quae tota a iure et aequitate pendet, non solum facto, sed multo etiam magis exemplo nocebit. nam quia praeeuntem sequi non difficile est, propterea, qui imitentur, quam qui inueniant, plures non modo in republica administranda, uerum etiam in omni arte reperias. male C. Caesar, qui libertate ui et armis oppressa ea, quae omnium erant, possedit unus. sed longe improbior ac nequior L. Sylla. qui, ut auderet sperare Caesar ea, quae consecutus est, exemplo suo perfecit. quod si, qui legibus praefuerunt, tales fuissent, quales eos, qui leges ipsas condiderant, fuisse legimus: stetisset in suo gradu respublica quaeque artes in ciuitate libertatem auxerant, eaedem facile conseruassent. uerum in hominibus, non in legibus, uitium fuit. primi omnium duo fratres e Sempronia familia, Tiberius et Caius Gracchi, malo publico eloquentes et ingeniosi, serere inter ciues discordias coeperunt infimaeque plebis animos nouorum commodorum in spem turbulentis concionibus excitare. qui etsi decreto senatus iusta ui oppressi debitas eorum audaciae poenas exsoluerunt, tamen exitiosae consuetudinis initium attulit ille dies, qui ciuili sanguine

gladios primus infecit. quod enim non modo iustum, sed nec usitatum antea fuerat, id postea ne nouum uideretur, effectum est. itaque cum aliquot post annis P. Sulpicius primum, ut uisus est, non pessime animatus, deinde siue ambitione inductus, siue iracundia concitatus ab optima caussa desciuisset eademque fere, quae duo Gracchi, in tribunatu plebis aut certe non dissimilia moliretur: facile ad uim et ad caedes prolapsa res est. neque prius arma quieuerunt, quam ciuium magna parte trucidata aut eiecta unius libido antiquis legibus par atque etiam superior esse coepit. quod neque tunc neque postea contigisset, si, quam sapientes in scribendis legibus maiores fuerant, tam in creandis magistratibus cauti posteri fuissent. nam, etsi non recte geritur publica res, nisi praestantibus uiris acrique ac magno animo praeditis committatur, tamen periculosa in primis haec est et lubrica sane deliberatio. propterea, quod non languentibus in animis, sed in erectis mentibus ac maximis ingeniis dominandi cupiditas exoritur. honorum spe, fateor, ad labores, ad industriam, ad subeunda etiam pericula homines excitantur: sed in libera ciuitate est, quatenus cuique credatur, et in danda potestate si modus retinebitur, modus item in gerenda seruabitur. legitimis enim potestatibus et moderatis imperiis alitur libertas neque facile quisquam uult, quod se posse desperat et, qui tantum potest, quantum si consequatur, ceteri nihil possent, hic si malus est, potestate fit deterior. sin ita moribus exploratis, ut antea nihil neque fecerit indignum bono uiro neque uoluerit, interdum tamen, ut humana mutantur, a rectis cogitationibus ad iniquas libidines traducitur et peccat eo ipso, quia peccare permittitur, ut possit. Quocirca patriam meam singulari sapientia institutam ac diuino quodam consilio temperatam licet existimare. in qua neque magistratus iidem continuantur, quod est seruandae ac diutissime retinendae reipublicae uinculum firmissi-

mum, neque cuiquam tantum uni committitur, ut extraordinario iure elatus libertati communique otio moliri periculum possit. qua moderatione factum est, ut post annos MCXXIV (tot enim ab urbe condita numerantur) non modo respublica sit, uerum etiam ita sit, ut omnibus rebuspublicis, quae nunc sunt, magnitudine opum, iis autem, quae fuerunt, imperii diuturnitate antecellat. quae quibus institutis ac magistratibus usa ab humili tenuique principio ad tantam dignitatem atque amplitudinem peruenerit, neque est hic narrandi locus et hoc argumentum uiri sapientissimi ita non modo copiose, uerum etiam ornate periteque tractarunt, ut, si quid uelis adiungere, idem sit, ac si in Apellis aliqua perfectissima imagine, puta in Venere illa Coa, elabores. Nobis Romana ciuitas proposita est. quae quam multas habuerit partes ad imitandum praeclaras, ex eo patet, quod ita bello ac pace uiguit, ut illius uim et potentiam omnes reges populique extimescerent, aequitatem et abstinentiam subiectae urbes nationesque diligerent. formam senatus, quod in ea publicum consilium fuit, ordinem comitiorum, iura legum tribus libris exposuimus. Nunc de magistratibus eorumque potestate disputabimus, tum, quia locus ipse admonet (hoc enim legibus adiunctum et tamquam adnexum uidetur), tum etiam, quia Ciceronem, cui uideo in iis libris, quos de Legibus conscripsit, hunc ipsum ordinem placuisse, libenter imitamur.

XXVI.

M. Antonio Mureto Pataulum (III, 12).

Qui mihi tuas attulit litteras, ei ego meam omnem operam, si qua in re uellet uti, atque omnino quidquid ualeo, tua caussa detuli. uisus est meam amicitiam plurimi facere et a me praeter eam nihil expetere. quod illi facillimum fuit impetrare. nam cum omnibus natura pateo, tum uero, qui a te diliguntur, amore meo numquam excludentur. Catulli quod apud te reliquum est, biduo si miseris, satis opportune facies. deinde mihi orna duos comites eius, utrumque dignum, ubi neruulos ingenii tui intendas. etiam illud mihi tribuis petenti, quod ante omnia et unum fortasse spectare te puto. cras, ad summum perendie, tria Catulli folia mittam. Filiolum meum Hieronymum nondum quinquennem, Aldo parem ingenio, ualetudine firmiorem, mandare Epidaurum ad hominem eruditum meique peramantem, Paullum Bosium, cogito. ibi moribus et primis litteris imbuetur. nam ego me ad haec humilia demittere nullo modo possum. Quid praeterea? nihil scilicet, immo aliquid. Scribe, amabo te, mi Murete, ut instituisti, quam saepissime. mehercule, e summis atque assiduis non modo negotiis, uerum etiam animi curis, tantum in tuarum epistolarum elegantia et suauitate conquiesco. atque etiam, dum ipse ad te scribo, quia te mihi praesentem statuo mutuumque inter nos sermonem fingo, incredibili uoluptate perfundor. Vale. Venetiis. Hercules meus, quia festus hodiernus dies est, abest. ideo haec mea manu, decies interpellatus, exaraui [MDLVIII a. d. XV. Kal. Maii].

---

28 'Hercules' Podocatharus Cyprius, quo utebatur amanuensi, uid. Ep. XXIX.

XXVII.

M. Antonio Nattae Mantuam (III, 31).

Adeo ne erraui et lapsus sum in subducenda ratione, ut de foliis quinquaginta coniecerim, quae nunc octuaginta fore uideo? pudet indiligentiae meae. uerum, ut ut est, commodo meo rem suscipere non possum. nec audio recusare, ne mea fides in dubium apud te ueniat. itaque peto a te, ut cum tua ratione meam quoque ducas nec exigas a me plus, quam res et fortunae meae patiantur. Nam quod ais redituram ad me pecuniam cum fenore libro uendito, uidelicet communi quadam, non propria me regula metiris. non enim ego, ut alii, qui libros imprimunt, habebo statim certos homines, qui eos diuendant et longinquas in urbes regionesque disseminent. uenduntur hic statim a meis omnes ita paruo pretio, ut lucri quidem minimum, sed minimo simul labore minima molestia fiat. Meum ergo librum itidem, inquis, uendes. de doctrina libri tui, de elegantia possum ego facile iudicare: de uenditione quis praestat? an nescis libros Latinos, optimos ueteres, ita nunc iacere, ut paene sordium in genere putentur, uix iam Ciceronem ipsum, Caesarem, Sallustium legi, a multis etiam ne legi quidem planeque contemni? quare noli mirari me tam esse diligentem in iis rebus, quas me docuit usus paene quotidianus et in quibus non licet esse sine magna mercede negligenti. De tempore quod urges, facultatem imprimendi non concedunt libro non inspecto. atque utinam inspecto concedant! quod si dixi eos me faciles habere, non significaui posse me libris non lectis impetrare ius imprimendi, sed consequi, statim ut legantur. quod ita multis non contigit. saepe enim uidi

5 'octuaginta' hac forma P. M. semper utitur pro 'octoginta'.

ad Sebosi Arriique aduentum ingemiscentis. Hui, unun ne Sebosum, unum habeo Arrium? uidelicet sexcentos quibus uelim nolim horae dandae sunt omnes. ex quc quantum molestiae, quantum hauriam acerbitatis, ipse qui meam consuetudinem ac meos plane sensus tenes facile potes coniicere. nam rem familiarem, etsi minime abundo, iacere tamen aequo animo patior; studia uero mea negligere nullo modo possum. De tuo aduentu spem nonnullam inieceras. eam rursus extenuant postremae tuae litterae. ego illud scilicet primum, ut habeas rationem ualetudinis, secundo loco, quod tuo commodo fieri possit, ut te nobis restituas, exopto. Quid Molinus noster? quid agit? quid autem ego hoc quaero? nimirum ille totos dies tecum, idest in uirtute totus est nec tuam complexus doctrinam dimittit, iudicio adductus suo, meo consilio confirmatus. Vale.

Haec ante lucem cubans in lectulo amanuensi meo et iam meorum studiorum socio dictaui, nobili adulescenti Cyprio, Herculi Podocatharo, qui cras Patauium cogitat teque meo nomine salutabit. illa superiora familiari meo, Sebastiano Leoni, dictaueram inambulans, quod eram paullo crudior nec fere mea manu libenter uti soleo. [Mense Augusto MDLVIII.]

XXX.

Marco Antonio Mureto Patauium (III, 6).

Tu uide, cui committas. ego enim binas tantun accepi. prioribus respondi nudius tertius meamque tibi de Bononiensi re non modo sententiam, uerun etiam uoluntatem ostendi. his alteris, quae mihi redditae sunt heri uesperi, si rem specto, rescribere nihi

---

1 'Sebosi Arriique' Cic. ad Attic. II, 15.

est necesse. sunt enim eiusdem argumenti. sin tuam uoluntatem, quae quanta sit, ex tuis litteris apparet, sunt eadem iteranda. sic igitur faciam. Affirmo tibi Sigonium nostrum, si Bononiam ierit praesensque contenderit, certum futurum. habet auctoritatem ex huius loci dignitate partam, mire suis amplificatam scriptis, praesertim his postremis, insigni doctrina, iudicio, ingenio refertis. studia Bononiensium ciuium facile colliget. ciuitas enim est ad humanitatem nulla propensior. Accedit, quod aut petet solus aut cum iis, quos neque nominis fama neque uero, ut a nonnullis accepi, litterarum scientia magnopere commendet. Bargaeus enim, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, condicionem illam certe non spectat. qui enim Pisis dominetur et sua uirtute, quam nouimus excellentem, et Principis gratia, cuius in ditione natus est, quo consilio ad res nouas animum adiiciat? ergo, si Bononiae Sigonius, uides, quid sequatur. diis hominibusque probantibus in eius locum ascendes. quo mihi nihil esset optatius. nam speciem habet Bononiensis condicio maiorem, ut in gymnasio Italiae celeberrimo; emolumenti certe haud paullo plus uideo hic futurum. atque etiam de dignitate uidero. tractantur omnino litterae splendidius in publicis gymnasiis et docetur de loco superiore uirtus maiore cum gloria. sed clarissimum Venetiarum nomen quasi luminibus obstruit Italicarum omnium ciuitatum et hic ortum decus facile manat ac diffunditur per omnes gentes propter huius urbis communionem et quasi societatem cum orbe terrarum uniuerso. Hic uenit in mentem: cur tu igitur migras? alia ratio est. ego urbem linquo, non cum urbe emolumentum. quin hoc augeo uehementer. illam prorsus amittere non uideor, quia Romam specto. habes meam sententiam, quod quidem ad me attinet. de Sigonio autem, quia nihil est tam amplum, quod eius uirtus non aequet, meam, ut opinor, diuinationem exitus non fallet. nisi si quid attulerit casus, qualia fert hominum uita. de Molini

nostri ualetudine, cum rescribis, adde uerbum, si me amas. Vale. Venetiis, nonis Sept., quo me die discedere cogitantem noua res detinuit. [MDLVIII.]

XXXI.

Marco Antonio Mureto Patauium (III, 26).

Laborabam uehementer de amico nostro: nunc animum meum constituit aliquo interdum, ut uere dicam, metu fluctuantem epistola tua. atque ad metum accedebat indignatio. quid? uirtuti ne deerit ornamentum aut etiam locus, ubi consistat? tanta ne est temporum iniquitas et hominum in suis bonis ignoratio? haec ego quandoque mecum. nunc uacuus cura iam sum et ex eo, quod significas, ut in exoptata fortuna, triumpho. uelim igitur ei meo nomine gratuleris. Tuos uersus, tua fretus humanitate, iam promiseram. eos exspectabo minima, si fieri potest, interposita mora. nec tu uelim me diuturna exspectatione ducas. Illa ad illos, qui te nunquam amarunt, quos male scis audire suo merito, cur non transferas ad alios? equidem suadeo. quod si tenerem *ὑπόθεσιν*, facile dicerem, ad quem. me a lusibus *καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἐρωτικῶν* plane reuocat non solum natura mea, sed aetas etiam senectuti propior. itaque, si quid ad me scribes, remoue, amabo te, omnia, quae Plato dilexisse uidetur, *ἀφροδίσια*. Intelligis, opinor, quid significem, et quod significo, petere me uel cupere etiam, si me putas ingenium tuum nosse, existimabis. De beneuolentia tua etsi numquam dubitaui, ex te tamen ipso ea, quae opto, libentissime audio. quamquam ad studium in te meum nihil addit studii tui commemoratio. non enim te amare coepi, ut ipse me amares, sed quod amabilem ipsum esse duxi multis

nominibus. quae tibi ipse ne exponam, non modo meus, uerum etiam tuus pudor impedit. Iactura te mouet rei familiaris in discessu repentino. noli laborare: lucrum erit in damno, si spectas eum, qui te excipiet, praestantem uirum erga tui similes optime animatum, cuius egregiam uoluntatem non dissimilis fortuna comitatur. sarciet igitur ille, siquid ob subitam migrationem damni facies, et, ut spero, tuum te consilium quotidie magis oblectabit. Polam uideo te abiecisse et laetor mehercule tua caussa. uerumtamen, si quando opus erit, secessum illum non contemnes, ut habeas tu quoque exemplo Africani et Laelii tuum Lucrinum, cuius in litore neglectis Regum thesauris, omni prorsus ambitione solutus, aut conchas legere aut fluctus numerare possis eoque laetius, si me tibi tantae uoluptatis comitem Deus obtulerit. Verum haec, ut quidem nostrae nunc utriusque res habent, inania, quae tamen, si perfecte saperemus, omnium fortasse prima. Sed uides me tecum garrire? captum uoluptate sermonis, dum te quasi praesentem alloquor et utor manu eius adolescentis, quem iure Latii donatum, Cretensibus ademptum, affirmo tibi dignum aliquando fore nostro contubernio. quod quidem studiose agit tuo maxime exemplo incitatus. etsi non te nostra domus, sed tua te industria, tuum nobilitauit ingenium. Libri aliquando exierunt, quos ad te mitto, iuuenis optimi et insigniter eruditi Onuphrii Panuinii. non dubito, cum legeris, quin meum de illius praestanti uirtute testimonium confirmes. habet alia in manibus, unde fructum studiosi capere uel maximum possunt. quae ut edat maturius, otium illi exoptare, qui rerum scientiam appetunt, omnes debent. Vale. Venetiis [mense Septembri MDLVIIII].

12 'Africani et Laelii' Cic. de oratore II, 6. — 21 'adolescentis' Nicolaus Cretensis uidetur esse intellegendus.

XXXII.

[Francisco Othomano] Argentoratum. (II, 19.)

Noli officium litterarum a me requirere: numquam scripsisti, quin rescripserim. quod si contra, quam res est, uidetur: alieno uitio fit; a me quidem prorsus abest culpa. De horologio quod iterum iam scribis, uicit pudorem meum humanitas tua. iam enim statueram oneris tibi nihil imponere, publica explanandi iuris cura occupato, quotidie aliquid scribenti, unde ad nos utilitas, ad te ipsum gloria permanet. negotium amico dederam et ille curaturum promiserat. nec tamen biennio fidem soluit. qua re accipio libenter, quod das. tu mihi, quod tuo commodo fiat, horologium Augustae elaboratum, ego tibi, quantam scripseris, pecuniam statim curabo. quale uelim, iam antea significaui, factum eleganter, artificio non uulgari. Audieram, quae ducuntur egregia, minoris triginta scutatis emi non solere. Hoc quidem esset nimium nec rei familiaris ratio ferret, cui consulere, quia copiosa non est, uideor debere. porro genus hoc ornamentorum ita soleo cupere, ut non insaniam. cupio autem ualetudinis, non libidinis caussa. cum enim me satis tristem natura finxerit, accersenda extrinsecus iucunditas est, quam a me ipso petere non possum, eoque magis, quod plurimus in cubiculo sum, affectus iam quadriennio per totam hiemem oculorum morbo, molesto tamen potius quam acerbo. nolim igitur impensam esse supra decem scutatos aut omnino quindecim eamque ita fieri, si horologium probetur oculis eruditis. itaque uide, cui negotium mandes. nam neque

2 Ab anno 1571 pro nomine asteriscus inuenitur. — 11 'amico' in prima editione legebatur 'Petro Pernae'. — 17 'triginta' uiginti antea legebatur. — 28 'decem' supra octo scutatos aut omnino decem. — 30 'mandes'. tum legebatur in prima editione: Quibus autem ad me litteras dare solitus es (quos significem, opinor, intelligis), iis horologium ne com-

omnes intelligunt et aliis alia probantur. ego formam et artificium, non materiam cupio emere. De tuis Instit. egi diligenter: hortatus sum lucri maximi spe proposita. ubi ad pretium uentum est, audire se negarunt. itaque tibi auctor sum cum iis transigas, quos faciles iam habuisti et in tuo merito satis, ut audio, liberales. Vale. Venetiis [MDLVIIII].

XXXIII.

Ad Michaelem Ghislerium Cardinalem in librum de locutione Dei Academiae Venetae nomine.

(Praef. XXII.)

Rerum humanarum exitus, quam uaria sint hominum consilia, declarant. quod si quis bene cogitat, sequitur, ut idem laudabiliter agat. recte autem agentem nihil umquam frustrabitur, nihil fallet. Decet igitur nos optima spe niti admodumque firma, quibus in condenda atque instituenda Academia nostra nihil praeter Dei gloriam et communem hominum utilitatem propositum fuit. Neque uero actiones nostrae, ut speramus, eiusmodi erunt, ut hanc ad optimas res animorum nostrorum propensionem ambigue aliquis interpretari aut in dubium reuocare possit. apparantur quotidie summa cura et edentur a nobis diuina doctrina referti, qui pietatem ac religionem complectuntur,

---

miseris. aliam rationem inibis, tutiorem, ut spero, mihi certe, quaecumque erit, gratiorem. — 5 'cum iis transigas', cum Episcopio transigas. — 7 post 'liberales' in pr. ed. legebatur: Sturmium saluta meis uerbis eumque communi litterarum nomine excita ad scribendum. utinam, quantum ualet, tantum uelit. optime consuleretur studiis nostris, optime etiam ipsius gloriae. quam si uult esse amplissimam, habet, unde consequatur.

illustres libri. et interim, quasi specimen quoddam aut pignus nostrae uoluntatis, egregia quaedam de locutione Dei ab excellenti uiro conscripta piis mentibus ac sacrarum litterarum, idest uerae gloriae studiosis communicandum censuimus. quae duabus maxime de caussis, praestantissime uir, tuo nomine decuit esse inscripta: primum, quod suscepto Academiae nostrae patrocinio nihil praetermittis, quod ad eam ornandam augendamque pertineat, et nos, quae a te officia proficiscuntur, quibus animis, quam libentibus, quam gratis excipiamus, aliquo item officio cum ipsi tibi, tum ceteris omnibus indicatum maximeque perspicuum esse cupimus; deinde, quae de Deo loquuntur, ad quem potius mitti aequum fuit, quam ad eum, qui diuina studia in omni suae uitae cursu cunctis et opibus et honoribus anteposuit? qui cum uniuersam de Deo diuinisque rebus doctrinam accuratissime quaesiuit, tum uero cum ipsa doctrina uitae rationem coniunxit et, ut omnes rectam salutaremque uiam tenerent aut, qui diuerterant, in eam reuocarentur, studio consilio, monitis auctoritate contendit. nihil obscure fama loquitur te tuis uirtutibus, nihil de te aut exiguum aut dubium affertur. patent multis ac certissimis argumentis eximia tua in Christi Ecclesiam merita; colunt te omnes ob doctrinam, imitantur multi ob integritatem, amant ob humanitatem maximeque ob rectam ac simplicem naturam ab omni fuco omnique fastu longissime remotam. praeconem uero tuarum laudum omnibus horis audimus eum, qui summa ipse laude dignus est, Federicum Baduarium, auctorem et conditorem Deo duce Academiae nostrae. cui quidem uiro tum uitae probitas, tum ex assiduo studio doctrina et ex diuturno rerum usu prudentia fidem atque auctoritatem in omni sermone conciliat. ipso igitur non modo approbante, uerum etiam hortante praeclarum de Deo

3 'ab excellenti uiro' Marco Antonio Natta.

libellum, grauem sententiis, illustrem uerbis, ad te mittit tuoque dicatum nomini omnibus gentibus Academia nostra communicat. quae cum se tibi, suo primum iudicio commota, tuis deinde meritis impulsa, penitus addixerit, eandem obseruantiam in omni uita praestabit et, ut eam futurae quoque gentes intelligant, ipso, ad quem omnia referimus, summo Deo opem ferente, aliquo merito consequemur. Tu interim, quando iam hoc tribuisti humanitati tuae, ut nos susciperes, tribue idem constantiae, ut susceptos tuearis ac foueas, ita tamen, si nos, tuo praesidio ac studio dignos, idest nostra ingenia in optimis artibus exercentes nostrasque uoluntates ad unam uirtutem dirigentes et audies et re ipsa cognosces. Venetiis. MDLVIII.

XXXIV.

Stephano Saulio Genuam (I, 5).

Magnum mihi solatium attulit epistola tua, iucunditatem dicere non possum. quam tempora eripiunt sic, ut me tristitiae totum paene tradiderim. Ac primum obiisse audio fratrem meum Bononiae, cum ualeret optime, repentino morbo oppressum. fratrem cum dico, me alterum iure naturae dico. uerum addo illud: obierit, si uera narrantur, frater is, qui bonitate praestabat, ualebat ingenio, excellebat industria, factus ad omnia maxime omnium uidebatur. itaque obruor dolore nec, puto, emergam, nisi aut illi melius esse cognouero, aut, si naturae satisfecit, opem tulerit ipsa dies, quae ualet ad omnia plurimum, animi uero morbis plus etiam interdum, quam ratio, medetur. Ad hanc aegritudinem accedunt domestica meaque pro-

---

20 'fratrem' Antonium.

pria. uxor, cuius praecipue studio res familiaris ac domus tota nititur, quae me multis molestiis multarumque rerum et curarum onere leuabat, quae meam ualetudinem praesenti semper officio tuebatur, ipsa nunc iacet periculi non expers, affectis diuturno morbo uiribus. ego uexor acerbissime anniuersariis oculorum doloribus, quos sanare, cum iam paene tentata sint omnia, humanae artis non puto. remedia sunt ab uno illo, qui malis cunctis medetur, caelesti medico expetenda. is mihi optimam, ut spero, ualetudinem aliquando restituet; si hoc minus, muniet me saltem ea uirtute, qua res aduersae facile perferuntur. ita salus ex morbo nascetur, non haec, qua corpus uiget, quam ego adhuc omni remediorum genere frustra quaesiui, quae cum ipso corpore paucorum annorum spatio penitus exstinguetur, sed illa multo praestantior, qua nostrae mentes, cum sese ab hac terrestri labe seiunxerint et cum purissimo illo caelestium animorum coetu consociauerint, perpetuo fruentur. interim tot in me concurrentibus malis aegre impetum sustineo planeque, quoniam homo sum, debilitor aduersis. Hic tu me uocas ad scribendum et hortaris, ut ea tradam litteris, quae assiduo linguae Latinae usu et diuturna tibi uideor exercitatione consecutus. Vis me scilicet, optime Sauli, eam uiam, quae ad eloquentiam ducit, aperire. spissum opus ac difficile, multi otii, tranquillae mentis, non nostrae fortunae, cuius tibi imaginem ostendi, neque nostrorum neruorum, quos tu putas esse satis firmos, ego, quam sint imbecilli, experior saepe ac sentio. At erunt praeclari conatus, etiam si non succedat. Si ita est, hac laude nemo excluditur. potest aggredi, qui uult, uelle autem quis non debet? si quidem egregia cupientem aliqua uel ex hoc ipso gloria consequetur. te, si quemquam Sauli doctissime, te, inquam, ipsum decet maxime omnium id suscipere, quod mihi imponis. quae enim sunt ad hoc munus necessaria, quorum aliis alia desunt, ea

in te uno abundant omnia; ingenium, usus diuturnus, doctrina, iudicium. quid? opes et fortuna numquid huc pertinent? illae uero mea sententia uel maxime. cursum enim ingeniorum retardat, uires debilitat ac frangit inopia. an tu putas Aristotelem et Platonem, illa Graeciae lumina, an Ciceronem nostrum, an Plinium tam multa potuisse litteris mandare, nisi summum illis otium rerum omnium affluentia peperisset? domi alebant seruos eruditos, contubernales habebant eximiis praemiis accersitos ex ultimis terris, rhetores, historicos, praestantis ingenii singularis doctrinae philosophos. cum his se quotidie exercebant, commentabantur, disputabant: horum omnium opera, quatenus liberet, utebantur. at ego sumptum unius pueri minima mercede conducti, quo in scribendo utor, aegre sustineo. Et in his angustiis, in hac mea tam tenui ualetudine, tam aduersa fortuna, quia rudes homines, ueteris eloquentiae cupidos, meis scriptis non erudio nec in rectam latine scribendi uiam induco, appellas me, quasi malum debitorem, atque etiam accusas, uerbis tu quidem humanissimis et alieno, ut uideris, nomine, re tamen ipsa grauiter et, ut ego interpretor, tuo iudicio, quod uereor in primis facioque, sicuti debeo, plurimi. uerumtamen uidere te puto, quam facultatem res desideret. quid autem praestari a me possit, nemo omnium, qui uiuunt, me ipso melius intelligit. quare noli mihi languorem aut desidiam obiicere, quae abesse procul a me, qui anteactae meae uitae cursum inspiciet atque examinabit, facile cognoscet. satis habeas, si nemo istam in te culpam conferat, qui, cum ingenio praestes, aetatem omnem in Latina lingua contriueris. ex quo factum est, ut eam perfecte calleas, id quod tuorum scriptorum subtilitas et elegantia declarat, cum ualetudinem non desideres, otio paene diffluas. addo etiam illud, cum optime tibi cum fortuna conueniat. quae tibi de suis bonis tantum elargita est, ut erogare quantamuis pecuniam in homines

doctos eorumque studia nullo tuo incommodo possis. haec cum in te sint omnia eaque, ut ego arbitror, summa, non minima quidem certe, abstines tamen ab hoc munere et hortaris alios nulla tibi re praeterquam uoluntate et studio conferendos. Quis non miretur sitire fontes? sitiunt enim certe, cum tu petis a me tamquam ex arido solo, quod in te ipso uberrimum esse constat, et cum ad nostram potius inopiam confugere, quam tuis copiis uti uis. Hoc loco mihi uenit in mentem, tuam quoque caussam, non modo meam, meditanti, quod tu fortasse respondeas. Distingues illa superiora, negabis in te uno esse omnia, quae dixi esse de Latina lingua scribentibus necessaria. de fortuna concedes: patet enim; etiam, opinor, de ualetudine, de otio; ingenii laudem et doctrinae, quae tua modestia est, abs te reiicies, fortasse etiam, quae tui est in me animi propensio, quae humanitas, ad me transferes. Nolim equidem tecum, Sauli, ne in tua quidem laude contendere. uerum, quod tu mihi de te ipso non credes, credent alii uerumque fatebuntur adducti in hanc sententiam ac plane confirmati, non tam auctoritate mea, quam tamen, in his praesertim elegantioribus litteris, in quibus iam tot annos uersor, non esse nullam intelligo, quam tuo ipsius testimonio, quod habet ponderis apud bonos et sapientes uiros in omni re plurimum. te, inquam, ipso teste locuplete, cui fides habenda uideatur, probabo tuam uirtutem. Oblitus ne es aut oblitum me putas illius temporis, cum tu librum tuum de homine Christiano mihi ostendisti? bone Deus, quam in illo multa praeclara, cuius industriae, cuius prudentiae, quam a te grauiter, quam copiose, quam splendide tractata. neque uero ego unus illum librum, uidere alii, uidit, qui uir et quantus! Reginaldus Polus Cardinalis, qui potest esse instar omnium, quem tu profecto iudicem in re tua numquam recusabis. hunc ego audiui, audiuere multi, de tuo interdum libro

loquentem. ornabat laudibus (et est homo, ut scis, natura simplex, rectus, cuius ab intimo sensu numquam ne minimum quidem aut uultus aut oratio discrepet). quid plura? conferendum cum antiquitate iudicabat. Quamobrem redeo illuc et concludo paucis. Magni facis eloquentiam, cupis eam cognosci, cupis amari et coli. egregia cupiditas et nobili sane uiro digna! uerum, ut tibi satisfacias, et inuenias exitum studii tui, elige de duobus, utrum uis. aut ipse, qui potes, ostende nobis Latinae linguae pulchritudinem ac praestantiam: doce nos, doce ceteros, quae sit eius adipiscendae et perfruendae ratio ineunda, aut, si quos existimas hoc praeclare posse, excita eos liberalitate, foue tuis copiis. noli pati animum eorum hac et illa cura distrahi: sit intentus et fixus hoc uno in studio neque abducat eum ab opere pulcherrimo ac nobilissimo humillimae interdum rei turpis et sordida procuratio. ita consequeris facile, quod uis, optimisque studiis et posteritati magna tua cum laude consules. Illa, quae scribis de leguleiis quibusdam in meum librum de Romanis legibus detrahendi studio incurrentibus legi nullo cum stomacho, nec sum miratus a barbaris hominibus sordido quodam litterarum genere assuetis elegantioris doctrinae scientiam et quasi lautitiam quandam studiorum contemni. Non placet istis meus liber, magnis uidelicet uiris, quorum fama aedium illarum, in quibus ipsi habitant, limina nondum est egressa. at placet Vincentio Portulacae, cuius est in urbe Brixia insignis auctoritas, illustre per Italiam nomen; placet Antonio Augustino, Marco Antonio Nattae, Laelio Taurello, Vido Pancirolo, iuris utriusque scientia claris, quorum nomina scriptis egregiis testata uirtus atque expressa cum aeternitate coniunget. hos ego meorum laborum et uigiliarum laudatores cum audio, uiros graues et certos omniumque nobilissimos, uoculas raucae plebeculae contemno, quidque leues et obscuri homines de me sentiant aut loquantur, non esse mihi ualde

laborandum existimo. te quoque sperabam in meis praesidiis esse et, si qui urgerent grauius, obsistere impetumque inuidiae et maleuolentiae tua auctoritate ac testimonio frangi. quod si facis, fructum fero meae singularis in te obseruantiae et habeo tibi, quam debeo, gratiam. sin minus, hoc tamen nomine tibi debeo, quod meos obtrectatores flocci facis usque eo, ut indignos, quibus respondeatur, existimes. Vale, Venetiis MDLVIII.

XXXV.

Io. Baptistae Pignae Ferrariam (IV, 45).

Alfonso Duce creato gratulatus Ferrariae sum, quae tum ex noui Principis eximia uirtute fructus capiet egregios, tum ipsa quoque ad omnem uirtutem eius, a quo regitur, exemplum secuta diligentius incumbet. mores enim ciuitatis ex Principis moribus effinguntur et, ut ait Plato: Quae apud eos, qui dominantur, studia uigent, eadem reliqui ciues amplectuntur et colunt. Ergo florebunt in uestra ciuitate liberales disciplinae ac debita iam pridem ingenuis artibus praemia persoluentur. quod equidem tua potissimum caussa, doctissime Pigna, magnopere gaudeo. nec enim dubitat quisquam aut dubitari omnino potest, quin, quantum ingenio, eruditione, iudicio, quantum etiam consilio uales, tantundem apud sapientissimum optimumque Principem et auctoritate ualeas et gratia. quod si, quam adhuc in cognoscenda, eandem posthac in ornanda uirtute industriam locabis, quis te uno felicior, quis omni laude praestantior? quod ut facias, ne monendus quidem es. nec enim te dissimilem esse tui uel natura tua uel consuetudo uel studia patiuntur. hoc igitur tecum agendum non est. illa me

---

17 'Plato' Legg. IV, 712 C.

potius, ut uere dicam, et simul omnes, qui te diligunt, cura solicitat, ne te nobis eripiant prorsus aulica negotia, sic ut iis disciplinis, quarum usus aeternum decus parit, salute dicta iacere patiaris ea, quae multis ante mensibus instituta si quando perficias, maiorem in modum et posteris et gloriae tuae seruies. quam multos enim egisse mecum diligenter existimas, ut hortarer te ad absoluendam poeticae imitationis artem aut, si absolutam habes, continuo diuulgandam? quibus ut aliquando satisfacias, etsi languere te in tua laude uix opinor, tamen peto abs te, quantum humanitas tua permittit. nec tamen, etiam si tua res non ageretur, amicitiam nostram, quam ego sanctissimam semper colui, nihil a te impetraturam confiderem. equidem nihil ei denegarem idque te, quod tamen secundissimis rebus ac sine molestia tua fiat, cupio experiri. Ego me ad litteras, a quibus inuitus discesseram, reuocare coepi, adeptus usum oculorum, quem antea desperabam, diuina primum ope, in qua statuere omnia consueui, deinde Gabrielis Faloppii scientia singulari. cui uiro quanti hanc lucis usuram, idest quanti uitam facio, quanti etiam praeclara litterarum studia mihi sunt, quibus uix ipsa uita pluris est, uni plane totum acceptum refero. siquidem eius doctrina, humanitas, exquisita cura pristinam mihi ualetudinem, omnino profligatam ac perditam, conspectum liberorum meorum, amicorum colloquia, librorum suauitatem restituit, ut, si quem optimis artibus industria nostra fructum feret, ei gratiae debeantur, cuius ope ac studio factum est, ut intermissam diuturno ac perdifficili morbo posteritatis adiuuandae consuetudinem aliquando repeterem. Tu mihi de tuo statu maximeque de Alfonsi Ducis conatibus egregiis ad honestandam uirtutem, de quibus fama iam percrebuit, si quid significaueris, argumentum erit amoris in me tui, quo laetari uehementer soleo. Vale, Venetiis [MDLIX].

XXXVI.

[Andreae Duditio Sbardellato] Patauium (IV, 18).

Valde probo industriam tuam, quam ad ornandum commentario aureolum Demetrii libellum περὶ τῆς ἑρμηνείας contulisti. sed antequam institutum absoluas, fore arbitror, ut exeat is, quem Petrus Bargaeus, qui Pisanum gymnasium politioris doctrinae professione illustrat, ante aliquot menses, ut audio, confecit. itaque malim ad Diodorum latinitate donandum operam studiumque tuum conuertas, ne, quod aiunt, actum agas. nam Bargaeo, quem tu fortasse non nosti, nec ingenio nec doctrina nec eloquentia quisquam praestat, quodque paucis admodum contigit, tum oratoria tum poetica laude pariter excellit. absit igitur omnis aemulatio ab iis, quos ego unice diligo et a quibus item diligi me sentio. Calores hic nihil remittunt: feruent omnia. quod nisi terrae iam perustae uberrimis imbribus cito madefiant, caritas multarum rerum et morborum uis ineunte autumno uidetur impendere. Ego, ut anni tempus est, non incommode ualeo: negotia curo, otium et studia cogito. Kalendarium Romanum uetus cum opinione mea de ratione ueterum dierum et necessaria litterarum interpretatione saepe iam a te rogatum quia nec ipse habebam nec reperire facillimum fuit, mitto serius acceptum a familiari meo, uiro probo et erudito, Raphaele Cyllenio. describes et remittes, quoniam quae sunt olim impressa cum Sigonii fastis, nullum ex iis iampridem uenale superest. in hoc autem, ut aliquid a me praecipuum haberes, itidem ut ego te praecipue diligo, quaedam uidebis immutata nec, opinor, improbabis. Vale, Venetiis [MDLIX].

---

2 In editione anni 1571 et seqqu. pro nomine Duditii asteriscus positus est.

XXXVII.

Ioanni Sambuco Patauium (IV, 36).

Ego uero accepto nuncio de obitu filioli mei ita sum perturbatus, ut me tamen hominem esse meminerim et illum in hanc uitam, tamquam in hospitium, ita esse ingressum, ut accitu summi Dei aeternum illud caeleste domicilium petiturus aliquando discederet. quod si me casus iste nec opinatus ita perculisset, ut omnino iacerem, excitarer tamen prudentia litterarum tuarum, in quibus de luctu minuendo disputas egregie tuamque declaras tum homine Christiano dignam bonitatem, tum erga me beneuolentiam singularem. uerum ego, optime Sambuci, multis iam infortuniis hoc sum assecutus, ut fortunam ipsam didicerim contemnere. quae mihi, ut eripiat reliqua, numquam adimet ea, quae nec ipsa dedit nec dare cuiquam potest, optima studia, pietatem in Deum. Praeclare actum opinor cum filio meo. fruitur conspectu et consuetudine caelestium animorum, non angitur curis, non spe ducitur, nihil timet aduersum. at nos, qui dicimur uiuere, quibus hac falsae lucis usura nihil est carius, quam multa exercent? quid laboramus, quid cupimus, quod etiam si contingat, animus acquiescat? itaque uere sapientes homines, non ut diu, sed ut recte et cum uirtute uiuerent, optare soliti sunt. quod equidem conor et, ut spero, consequar. nihil enim magis cogito, quam ut seruiam studiis meis et ita uiuam, ut uitae rationem Deo simul et hominibus aliquando possim reddere. Quare cum me uocas ad scribendum, confirmantur consilia mea iudicio tuo. ac tu quidem in hoc officio cohortandi facis idem, quod multi. quibus facile possem satis-

---

3 'filioli' Hieronymi, qui Ragusae mortuus erat.

facere, si per domestica negotia liceret. sed, obsecro, nolite ex otio uestro meum spectare. uobis enim certa et expedita sunt omnia: mihi unicum est uectigal industria mea, qua liberos alere, tueri familiam cogor et si negligam, deseretur humanitas. sin, ut debeo, diligenter curem, iacere studia necesse est, quae solutum curis omnibus animum postulant. At, inquies, ipsa tibi studia fructum ferent. Cane aliis cantilenam istam, mores ac tempora ignorantibus, mihi non persuadebis experto. uetus illa Principum uirorum benignitas exaruit, inania plerique sequuntur, nihil solidum amant, nihil magnificum, nihil illustre. Vides alios, quasi perdendis tantum frugibus nati sint, immanibus epularum sumptibus opes exhaurire, alios, quasi etiam homines ipsos, non modo fruges perdere pulchrum sit, thesauros effundere collectos acerbissime in ea bella, quae uastitatem agris, urbibus incendia, humano generi, aliena stultitia miserrimo, cladem et exitium importent. Musae interim ubique locorum algent, neglectae ab iis, qui fouere eas ut maxime poterant, ita maxime debebant. Etiam illud indignum, quod exsistunt, qui specie liberalitatis gloriolam aucupentur et eam uirtutem, a qua longissime absunt, quasi familiarem suam sic in ore habeant, ut amare

---

23 post 'absunt' legebatur in prima editione quarti libri (1560): quam oderunt cane peius et angue. — 24 post 'amare uideantur': exemplum recens in manibus est hominis, ut a multis accepi, nobilissimi, qui mihi et obsignata charta quid ultro promiserit et postea, cultus a me diligenter omni genere officii qualem exitu se praebuerit, non ignoras. Hoc fere morbo laborant multi eoque grauius, quo minus eorum dignitas et amplitudo fert. unum aut alterum, sed unum in primis animo excellere et personam Principis egregie sustinere audio, summi filium Imperatoris, ipsum orbis terrae imperio dignissimum, Maximilianum Regem, quem de ornandis liberalibus disciplinis cogitare, cum eas optime calleat, minime miror. itaque factum a me non insipienter puto, qui de mittendo ad eum libro nostro te quidem approbante nec medio-

uideantur. Verum haec satis aut etiam nimium fortasse multa. Vale. Venetiis [MDLIX].

XXXVIIII.

Illustri Comiti Michaeli Turriano Cenetensi Episcopo Cenetam (IV, 1).

Manutius mense Februario anni 1559 graui periculo implicitus erat. Criminis conficti reus, ne in uincula publica coniceretur, primum Venetiis coenobio quodam se occuluit, tum Patauium confugit. Cui quamquam criminis absoluto aut saltem pecunia multato paucis mensibus post in patriam reditus patuit, tamen haud leue fortunarum suarum damnum queritur se accepisse. Sed Turriani, qui iam sex annis ante dono ducentorum nummorum aureorum opes eius fulserat, liberalitate ei uidetur contigisse, ut eam iacturam aliqua ex parte resarciret.

Angebar animi nec fieri quidquam posse me uno miserius opinabar. ita multa hoc anno praeter exspectationem, prorsus aduersa meis rationibus obtigerant: fratris primum amantissimi, deinde filioli suauissimi interitus, uxoris morbus, inualetudo mea, rei familiaris incommoda. quam facile, nullo paene strepitu, rerum mearum conuersus ordo est! de fratre et filio iam fero moderatius, uel quod, ut solet, medetur dies, uel quia, quod aeterna lege Deus constituit, id abrogare uelle non solum iniustitiae, uerum etiam imprudentiae uidetur esse. uxor conualuit, ego satis firmus. domestica uero damna, quae sarciri

---

criter adhortante consilium ceperim. quod ille si cognouerit et si me apud eum testimonio litterarum tuarum in aliqua gratia posueris, magnopere laetabor, idque si a te impetro, et debere me tua caussa plurimum arbitrabor et, ubi res exigat, studiosissime praestabo.

uix umquam arbitrabar posse, facile compensat amor in me tuus. cuius mihi recordatio molestias omnes diluit, quandoquidem uis me ad omnes casus, recordor enim tua uerba, subsidium in tua benignitate maximum constituere. itaque leuatus a te grauissimis curis premi iam onere officii me sentio. in quo sustinendo uiribus enitar cunctis et animi et ingenii. tantum ne? immo etiam iis, quas beneuolentia erga te nostra et singularis addet obseruantia. quid porro tam difficile aut tam amplum est, quod incitata studio uoluntas non assequatur? uerumtamen in hac re sentio esse haud paullo difficilius mihi satisfacere, quam tibi. te enim nihil in conferendo beneficio spectare praeter ipsam uirtutem, quae suis gaudet ac fruitur bonis, nihil extrinsecus assumit, satis mihi multo antea persuasum est, praeterea nulla re indigere, non gloria, qua iampridem abundas, non diuitiis, quas et possides iam et contemnis. ego uero, qui et ante annos sex, quo te primum die sum allocutus, eo ipso die benignitatis tuae praestantiam non uulgari munere sum expertus et nunc ab eadem benignitate multo etiam maiora te iubente cogor exspectare, prorsus ancipiti cura distrahor, qui neque gratiam tibi umquam referre neque nuda uoluntate contentus esse possim. Succurrunt enim multa, quae libenter cogitem: primum humanitas tua, qua me semper complexus es; deinde liberalitas, qua subleuasti; postremo consolatio illa Christianae pietatis et sapientiae plenissima, qua me quidem proximo Quinctili mense, cum ad te honoris caussa Cenetam accessissem, afflictum erexisti. atque haec quibus meis erga te officiis? nullis omnino, salutatione excepta, quae ipsa mihi tum utilis ex prudentia atque eruditione tua, tum etiam ex dignitate perhonorifica fuit. Quae cum omnia colligo, eximiam istam planeque diuinam beneficentiam, insitam tibi uel potius ingeneratam a natura, auctam doctrina, usu confirmatam atque perfectam satis admirari non pos-

sum. Et simul ad quosdam opibus affluentes, multis imperantes nationibus cogitationem conuertens doleo uicem bonarum artium, quae deserantur ab iis, quorum patrocinio si uterentur, fructum retribuerent eum, qui est omnibus imperiis anteponendus. quid enim est immortalitate praestantius? quis autem eam, nisi beneficio litterarum, consequitur? laterent in tenebris obruti uetustate Caesares, Alexandri, plane omnis antiquitas, nisi rerum praeclarissime gestarum, quas cum audimus, imitandi cupiditate accendimur, testem haberemus historiam. Quo magis tibi gratulor, Antistes et idem Princeps egregie, qui hanc uerae laudis paene vacuam hodie possessionem tam libenter occupes ueteremque maiorum tuorum de omnibus bene merendi consuetudinem, nulla prorsus tuarum fortunarum ratione habita, constantissime retineas. Quod uero istam uirtutem multis praeterea uirtutibus, usu rerum maximarum, prudentia, doctrina, eloquentia, maxime uero humanitate cumulas atque exornas, iccirco et antea Romae atque in tuis legationibus Ecclesiae caussa susceptis, magnificentissime gestis et nunc in urbe tua, quam diuino simul et humano iure temperas, concursus ad te quotidie fiunt optimorum uirorum et eorum maxime, qui aut ipsi ingenio litterisque praestant aut saltem de ingeniorum litterarumque praestantia iudicare possunt. in quo saepe fortunam accuso, quae mihi facultatem ueniendi ad te, quod eram hac aestate pollicitus et cupio uehementer, adhuc quidem eripiat. quod cum licebit, accurram. quid enim ista amoenitate iucundius, isto caelo salubrius? quid porro ad beate uiuendum deesse potest ei, qui tecum uiuat? cuius in aedibus primum oritur ex tua disciplina uirtus, deinde excipit uirtutem liberalitas. Hoc igitur, cum per negotia licebit; et utinam mature liceat. interim memoria tui fruar teque licet hoc terrarum spatio disiunctum colam, ut praesentem, nec ullum erga te, quod ab homine tui studiosissimo

possit exspectari, aut officii genus aut studii praetermittam. Vale, Venetiis [MDLIX].

XXXIX.

Marco Antonio Mureto Patauium (III, 27).

Vix credas, quam non facile mea manu litteras conficiam et quam facile, cum utor amanuensi, fluat oratio. itaque scripsi ad Seuerum laboriose, quod inambulans, ut antea solebam, minimo negotio dictassem. discessus ille meus, magnorum index malorum, ut ab amicis tunc falsa coniectura ductis putabatur, familiares meos, quorum uti opera consueueram, Podocatharum, Fasinardum, postremo etiam Nicolaum Cretensem mihi ademit. filium habeo, sed puerum adhuc et imbecillo corpore et occupatum satis domestica cura. itaque posthac, nisi quid occurrat grauius, perquam raro et quambreuissime scribam. uenio ad litteras tuas. Reuersus e Foro Iulii, quo exieram non tam negotii quam ualetudinis caussa, reperi librum tuum Variarum lectionum, quem apud Sixtum Medicem, communem amicum, excellentem uirum reliqueras. noli expectare iudicium meum. malo enim te ab aliis, quid de tuis studiis, quid de ingenio existimem, quam a me ipso cognoscere. unum tamen illud non minus uere quam libenter dicam, nihil me adhuc in hoc genere legisse ornatius, nihil eruditius. Quod autem quibusdam in locis et a me dissentis et egregiis idem

---

1 post 'praetermittam' in prima editione eius epistulae legebatur: Salutamus te, quam studiose quamque ex animo licet. ego, uxor et liberi, praesertim is*), quem audio nunc in cunis uagientem, susceptus a te, cum salutarem aquam in baptismate reciperet. cui te pro eo nomine, quod inter nos commune cepit esse, parentis officia benigne et pie praestiturum confidimus.

---

*) Octauius, minimus natu filius Pauli M.

audibus me ad caelum tollis, parcius utrumque uelem. sic enim utrumque fortasse uerius. ago tamen ;ratias, quod publicam utilitatem rebus omnibus anteonas. quam ego consuetudinem acceptam a patre eruaui mea sponte et seruabo posthac tuo inuitatus xemplo diligentius. De nummis, cum libebit, atque deo ut lubebit. urgeri enim eum, quicum tibi usus ntercedat, ne si ipse quidem uelis, facile permitterem.)ionysius paullo serius, quam putaueram, absoluetur. noram iniecit commissa inter operarios rixa absente ne. neque tamen hac satis leui, sed aliis adductus aussis, quae ponderis longe plus habebant, paene otum consilium abieceram. nunc te hortante ac moiente etiam, ut celeriter, quid agam? quid autem, iisi quod ipse cupis? quod certe mea caussa cupis. irgebo igitur pro uirili nec impensae parcetur aut labori. De Gallorum rege dolui sane grauiter dolorem uestrum. sed humana quae sunt, humaniter ferenda. nec uobis doctrinae remedia nec ea, quae sumuntur a rerum usu, deesse possunt. et tu mihi miranda narrasti de Cardinalis pietate in Deum. quo ille se uosque omnes praesidio aduersus iniquitatem fortunae praeclare tuebitur. Vale. Venetiis [MDLIX aestate exeunte uel auctumno ineunte].

XL.

Scripsit hanc liberalium disciplinarum nomine Pio IV. Pontifice creato (V, 1).

Cum tibi, Pontifex optime, ad istam dignitatem nuper diuinitus elato, qua sublimius aut praestantius inter homines nihil est, mortales quam plurimi, alii

1 post 'tollis' antea legebatur: non magis amorem in me tuum, quam doctrinam amo.

absentes litteris et nunciis, alii coram uultu et uerbis gratulentur, non dubitamus, quin nos quoque, altrices tuas, in maximo gratulantium numero ad tuos sanctissimos pedes officiose proiectas excipias et eo benignius, quod alii, quia peruenisti ad eum finem, infra quem ceteri fines sunt, gratulantur, nos autem, quia scilicet, ut peruenire posses, ipsae perfecimus. Non est ad gloriam lata quaedam et communis uia. perangusta fuit semita paucorumque notata uestigiis, qua ierunt et heroes illi ueteres, in Christiana militia fortissimi uiri. et maxime quidem omnium, patrum nostrorum memoria, Pius ille Pontifex, cuius tu nomen in eadem sede merito collocatus et cum nomine uirtutem refers. in istam olim semitam ferentem ad aeternum decus nos te puerum adhuc, sed puerum praeclara cupientem, manu prehensum duximus, ne ue quis te error auertere, ne qua morari posset offensio, cupide procedenti quasi lumen praetulimus. confectum iam iter est, ultra quo progrediaris, non habes. inter te et opificem aeternum, cuius ministrae nos sumus, nulla iam interiacent humana. quare, quoniam te eo perduximus, quo sine nobis peruenire felicitatis non est, et quando de longa uia ita fessas esse intelligis, ut consistere uix possimus, redde praemium bene merentibus et permitte nobis, ut in tua beneficentia nixae conquiescamus. nam, si tibi Deus Opt. Max. hoc elargitus est, ut in omni tua uita praeter rectum et honestum nihil spectares, quis te laudabiliter antea cogitasse probauerit, nisi nunc, cum est ad uoluntatem adiuncta facultas, id ipsum, quod cogitasti, re perficias? si te ambitio delectaret, proponeremus illa inania, quibus ii, qui ex hominum sermonibus pendent, excitari solent: fore, si nos iacentes erexeris, ut orbem terrarum tui nominis fama peruagetur, ut oratorum et poetarum de te praedicantium uocibus aures tuae personent, denique ut imaginem tuarum uirtutum, aeternis excellentium ui-

rorum scriptis expressam, ipsa posteritas intuens cupiat imitari. speciosa ista uidentur et sunt omnino, sed a splendore tamen uerae laudis absunt. nam recte facere non ex iis, quae consequuntur, sed ipsum per se sapientibus uiris amabile uidetur. qui cum innocenter sancteque uiuunt, minime illi quidem de praemiis cogitant, ne probitas mercenaria uideatur, aut, si cogitant, non ad haec humana, quae sunt locorum et temporum angustis sane terminis circumscripta, oculos demittunt, sed ad illa diuina suspicientes beatam immortalemque uitam et expetunt unam et unam expetendam esse persuasum habent. hoc tu semper institutum probasti, probauit Paulus ille III. omnium saeculorum memoria celebrandus, qui de humano genere uel hoc potissimum nomine optime meritus existimatur, quia in suo Pontificatu effecit, ut tu Pontifex esse posses. probarunt hodieque probant sodales aliquot tui, quorum alii, non ut uulgo uocantur, mortui, sed ut sapientes proprie loquuntur, mortali uita liberati, nunc incolae caeli Deoque fruentes non tam, quia te Pontificem intuentur, gaudent, quam quia facturum ea prospiciunt, quae sunt optimo Pontifice dignissima; alii uero, nondum sane ab hac terrestri materia discreti aut simplicem naturam assecuti, sed ita tamen in terris commorantes, ut bonitate simplices animos referant, non dubito, quin tibi nostram caussam unanimes commendent et eo studiosius, quod, et ipsi alumni nostri cum sint, officio non solum laudabili, uerum etiam debito fungentur. satis iam exagitatae, satis inopiam et solitudinem passae, ab omnibus fere Principibus neglectae supplices ad te confugimus. quid petentes? honestum otium. a quo petentes? a Pio Pontifice. Pius ne ille noster, cuius animum ac mentem saluberrimis praeceptis ad omnem laudem conformauimus atque effinximus, cui comites in omni aetate atque in omni fortuna non solum iucundae, sed etiam perhonorificae fuimus, qui ut hoc

tempore plus, quam omnes homines, prodesse nobis unus possit, id ipsum a nobis habet, is ne nos aliquam tanti beneficii gratiam reposcentes ab sese reiiciet? non hoc illius natura, non doctrina, non consuetudo feret. Sint sane mutabiles eorum animi neque satis in colenda uirtute sibi constent, fit enim saepe, ut uoluntates simul cum fortuna commutentur: in te, Pontifex optime, non cadit huius inconstantiae suspicio. tua est bene agendi perpetuitas; nihil in uita tua uarium, nihil flexibile, nihil mistum cognouimus. semper idem tibi, semper directum quiddam placuit et simplex. non te rerum humanarum ficta et fucata forma, non illae, quibus plerique capiuntur, insidiosae uoluptatum illecebrae ceperunt. non tu in tabula picta, inani colorum specie captus, oculis immobilibus haesisti. non sericam uestem, non argenteum uas, non aurata tecta paullo cupidius aspexisti. denique, ne singula persequamur, cum plerique hominum siue gratia siue metu ab officio deducuntur, numquam te uel ita gratia deleniuit uel ita metus deterruit, ut pietatem religionemque desereres. quid mirum? uirtutum radices non ita leuiter bonorum in animis inhaerent, ut eas euellere aut commodi spes aut periculi dubitatio possit. quare tuae consuetudinis et constantiae memores non petimus a te, ut aliquid agas nostra caussa, quod cum egeris, non consentire cum tuis superioribus factis uideatur, sed id petimus, quod a te non modo ipsa res, sed etiam consuetudo tua postulat, ut in uetere illo tuarum actionum laudabili cursu pergas. quod cum facies, facturum enim, quia te nouimus, non dubitamus, complecteris nos eodem studio, quo ipsae te aluimus, et in eum locum restitues, unde nos aduersariae nostrae, inscitia simul et auaritia, comites perpetuae, detruserunt. Vale [Venetiis MDLIX/LX].

XLI.

Carolo Sigonio Patauium (V, 18).

Egi diligenter, quod mandaueras. praecise negauit ac uisus etiam nonnihil moleste ferre. sed mihi crede, huius generis paene magistro: uestri sensus non congruerent. nihil morosius. o multa in omnibus intolerabilia! quae nobis tamen, mi Sigoni, qui a libris nescio quid plus, quam ceteri, sapere didicimus, ferenda sunt. quamquam tibi quidem pro tua prudentia atque etiam pro superioris uitae perpetua consuetudine nihil difficile. Sed Patauii te nunc esse, in celeberrimo Italiae theatro, ubi spectatur et notatur acerrime, quidquid agas, quidquid dicas, et saepe mihi nec umquam sine aliquo metu in mentem uenit. sic sunt, qui amant: omnia cupiunt, omnia timent. Vide, quo te in loco tua uirtus, quanta omnium exspectatione constituerit. nihil mediocre praestandum est, nec, ut cum aliis, quibus te iam doctrina industriaque antecelluisse omnes iudicant, sed ut tecum ipse certes teque ipsum, si licet, uincas omnique laudis genere cumules, elaborandum. quae cum ad quem scribam considero, et cum mihi singularem tuam in omnibus rebus cupiditatem ac diligentiam propono, mirifice laetor. nec me tamen paenitet hoc nostrae necessitudini tribuisse, ut ea legas a me scripta, quae minime necessaria duxerim. Hesternum diem puto te mutuis cum Pace Scala sermonibus iucundissime traduxisse, quem uolo a te amari plurimum, uel quod ab illo te quoque amari plurimum sensi, uel quod eo nihil humanius, nihil amabilius. praeterea, quod te uehementer mouebit, multis nominibus ego illum in oculis fero, nec in eo riuales habeo paucos. Faloppio nostro si discessum meum excusaueris, cum uxoris morbus urgeret, gratissimum erit. nec tamen diutius hic me commoraturum puto. tanti nihil est, ut uobis carere

possim. Interim uale et, si uacat, scribe. non accurate, sed, ut ego nunc, quidquid in buccam, ne pereat omnino fructus nostrorum sermonum. quem si litterae restituent, paullo feram leuius absentis tui desiderium, cuius igniculum, e cubiculo meo cum discederes, sentire coepi. nec deinde tuum spectrum discessit ab oculis nostris. Venetiis [MDLX].

XLII.

[Andreae Duditio Sbardellato] Patauium [IV, 14].

Cum de tua ualetudine sollicitus essem, curam auxit filioli morbus, quo etiam nunc laborat, nec satis explorata salute. me quoque leuiter febricula tentauit, qua triduo sum sine medicorum interuentu, temperata dumtaxat uictus ratione, liberatus. Nunc expediendis negotiis operam do, ut, si amicus noster, bonarum artium patronus, summum illum dignitatis apicem attigerit, quam primum possimus accurrere. saepe enim et litteris et praesenti sermone cupere se consultum rationibus meis amantissime declarauit. mihi autem omnia sunt in eo, ut otio litterato frui liceat, nulla rerum domesticarum cura interpellante. quod si assequimur, ualeat ambitio: uiuemus nobis et Musis et eo quidem animo, ut omnia referamus ad Deum, a quo uno felicitas uera pendet. quod quidem tibi uideri ex tuis litteris facile coniicio. Miro teneor desiderio ueniendi ad te, sed hanc facultatem multa eripiunt, praesertim aeger filius, quem tibi et pro nostra amicitia et pro noua coniunctione esse caris-

---

9 pro nomine in editione 1571 et in eis, quae sequuntur, asteriscus positus est.

simum plane mihi persuadeo. te quidem a morbo confirmatum si audiero, aequiore animo domestica patiar commoda. itaque dabis hoc amori nostro, quem tua uirtus peperit, alit humanitas atque auget, ut nostra etiam caussa tuam ualetudinem studiosissime cures. Vale. Venetiis [MDLX].

XLIIII.

Octauiano Ferrario Mediolanum (V, 11).

Noli putare me tantum amici tui προβλήμασι tribuisse, ut adhuc rem deducerem. nam etsi de illius ingenio doctrinaque semper optime sensi idque primum litterarum tuarum testimonio, post etiam iudicio meo commotus, tamen de tuo libro ita iudico, nihil fieri posse non modo eruditius, in quo meam de studiis tuis opinionem aequauit industria tua, uerum etiam elegantius. quod ab excellentibus in philosophia uiris, qualem te iam omnes praedicant, hodie non admodum exspectatur. Quid igitur obstitit, cur non aggrederer? caussam si quaeris, de qua te, si res pateretur, celatum uellem: pituita repente commota, satis per se molesta, mox etiam, cum tussis accessisset, periculosa, moram iniecit. biduum iacui, medico non admisso accurata uictus ratione contentus, in qua tu quantum ponas, ignoro; ego utilissimam experior. nunc, quae supersunt morbi reliquiae, do operam, ut eas depellam. quod eadem, ut spero, abstinentia consequar. Filio iam et domesticis omnibus recte est. Liber tuus, quemadmodum ex pagi-

---

28 post 'recte est' etiamtum in editione anni 1571 legebatur: De gaudio Ciceronis ex Hirri repulsa scripsisti diligenter et praeclare: sed me oratio ipsa ad latini sermonis consuetudinem reuocata non libenter a te dissentientem in aliam tamen

nis et diebus rationem duco, uideo fore, ut idibus Sext. aut plane absolutus ab operariis nostris aut inibi sit. itaque uelim significes, quot ad te eius exempla et cui dari uelis. chartam probabis, habet enim amplitudinem et elegantiam, spero item reliqua. mitterem Io. Antonio bibliopolae uestro. sed homo est, quod inter nos dictum sit, paullo ad rem attentior, quam uellem. nisi remittat aliquid de sua consuetudine, uix puto inter nos posse conuenire. uerumtamen quid ad nos? utamur alio, qui se praebeat aequiorem in transigendo, deinde bonum uirum in fide praestanda. quod totum prudentiae tuae committo. Vale. Venetiis [MDLX ante mensem Augustum].

XLIV.

Hieronymo Seripando Cardinali creato Romam (V, 23).

A quo primum tempore aliquid sapere, idest a uulgi opinionibus dissentire coepi, semper ita iudicaui, multo esse optabilius multoque praestantius consequi uirtutem ipsam, quam ornamenta uirtutis. itaque nunc allato de tua dignitate nuntio, quem hic ingenti laetitia boni omnes exceperunt, non sane tua caussa magis, quam antea pro communi quidem Ecclesiae bono, cui tantum ex honore tuo praesidii, tantum splendoris accesserit, magnopere sum laetatus. tu enim is es, cuius animus haec humana numquam

sententiam deducebat. in editione anni 1561 sequebatur: siquidem interesse coniungit potius, quam dirimit. itaque, quod nostra interest, idem ad nos pertinere licet dicere. et, si hoc, sequitur illud, ut indignatio non distet ab inuidia, cum τὸ νεμεσᾶν intersit τοῦ φθονεῖν. sed alucinor fortasse et haec tu omnino melius, qui soles interiora perscrutari.

spectauerit, semper omnem spem omnemque gloriam ac felicitatem in uno Deo et in illa caelesti uita recte ac laudabiliter agentibus proposita collocarit. Cui sunt occultae mirabiles illae tot annorum cogitationes, actiones, conciones tuae? quae si obscura fuissent, uno illo facto illustrarentur maxime, cum illa Praefecturae generalis insignia, quae libenter omnes assumunt, multo ipse libentius deposuisti. Quocirca non equidem magis, quia Cardinalis nunc es, quam quia semper ita uixisti, ut Cardinalium Collegio dignissimus esses, et mihi et omnibus laetandum intelligo. nec uero singularem ac diuinam Pii IV. Pontificis Max. sapientiam admirari et efferre laudibus umquam desinam, qui uexatam assiduo prauarum opinionum impetu nec mediocri periculo fluctuantem Christianae reip. nauem auctoritatis et doctrinae tuae pondere constituendam putauerit. itaque non iam illas a septentrione horribiles procellas, a quibus antea naufragium impendere uidebatur, posthac timebimus. Pio IV. gubernante, quod utinam diuina benignitas diuturnum esse patiatur, tua, Seripande, tuorumque similium ope summa tranquillitate perfruemur. id et speratur iam indicto Concilio, quod unicum tantis malis eximia superiorum Pontificum sapientia remedium inuenit, et mihi quidem si contigerit, ut ad eam diem spiritum ducere liceat, cum sublatas in perpetuum exitiosi discidii caussas, unam in communi salute uoluntatem, unum gregis uniuersi pastorem ac moderatorem uideam: satis me uixisse arbitrabor et plane laetus ex hac uita discedam. Interim fruar exspectatione et tibi tuisque uirtutibus, quas omnes laudant, utinam imitari multi uellent, eam, quam debeo, obseruantiam beneuolentiamque praestabo. Vale. Venetiis [uere anni MDLXI].

---

2 'Praefecturae generalis' ordinis Augustinorum.

XLV.

Francisco Robortellio Bononiam (V, 27).

Magnam habeo gratiam Hieronymo Seripando, optimo Cardinali omniumque uirtutum gloria praestantissimo, quod ab aliqua nos ob imitationem uirtutis exorta simultate ad summam beneuolentiam coniunctionemque traduxerit. te quidem cum eximia doctrinae opinione, quam apud omnes merito consecutus es, humanitatis laudem uelle coniungere tum mea caussa laetor, qui tua consuetudine nimium diu molestissime carui meaeque in te perpetuae uoluntatis ipse mihi egregie sum conscius, tum uero, quod inter te et Sigonium nostrum, uiros tales et plane duo nostrae Italiae lumina, non optime conuenire ferendum uix erat. itaque cum de nostra auctore Seripando reconciliata gratia ex ipsius Sigonii litteris cognouissem, feci statim, quae meae partes erant, ut animo te complecterer meque tibi, leuiter antea nec sane mediocri cum dolore immutatum, libentissime totum restituerem. A te peto, non ut me mutuo diligas, quod te iam facere perpetuoque facturum certo scio, sed ut officiis etiam ita mecum certare uelis, quibus et cupide uincam et uincar tamen non inuitus, ut nihil omnino neque de mea in te uetere obseruantia neque de tua in me beneuolentia detractum esse uideatur. quamquam hoc tua fretus bonitate et sapientia cum sperauerim antea, nunc ut plane confidam, litterae tuae fecerunt ad hominem bene doctum et utriusque nostrum amantissimum, Raphaelem Cyllenium, proxime conscriptae, quibus in litteris partim de me, quo sum mirifice laetatus, amantissime loqueris, partim etiam typos Graecos fratris mei, nescio qua culpa amissos, benignissime mihi polliceris ac defers. Ego, mi Robortelle, istam uehementer amo uoluntatem, quam tibi certe emetior. liberalitate uero

tua etsi delector maxime, tamen, cur utar, non est, cum officinam satis amplo et pereleganti huius generis copia magnis iam sumptibus instruxerim. tibi tamen, quia de commodo meo tua sponte cogitaueris, quod sine summo erga me amore fieri profecto non potuit, aeque debeo, ac si rem omnium maximam meo pernecessario tempore detulisses. quod si a me paria ac multo etiam praestantiora in omnibus rebus, quas ad tuae laudis tuique commodi partem aliquam pertinere intelligam, studia et officia exspectabis, numquam te fallam. atque huius quidem testem promissi et quasi loco foederis, quod a me uiolari numquam patiar, hanc esse apud te epistolam uolo. Camillum Palaeottum, cuius excellentem humanitatem coniunctam pari uirtute non dubito quin praeclare cognitam habeas, et communem amicum, dignum Romulo parente filium, Pompilium Amasaeum rogo te salutes meis uerbis diligenter. Vale. Venetiis [MDLXI].

XLVI.

Andreae Siluio Venetias (VI, 7).

Vix credas, mi Silui, quam saepe in magnis occupationibus tangar desiderio tui. non enim tuae suauitatis, non ingenii, non etiam pudoris ingenui, quo delector in primis, exemplum facile reperio. moueor etiam promisso illo tuo interpretationis Horatianae, de qua te absentem interdum admonere possum, praesentem quotidie appellarem ac quasi conuicio exigerem. quis enim, qui de poetis modo iudicare aliquid possit, uni inter latinos omnes Horatio uel acumine ingenii uel sententiarum grauitate palmam non tribuit? quis igitur non magnopere tuarum lucubrationum cupiditate capiatur? dixeras uelle te omnia, quae ille a

Graecis plurima transtulit, ut suam poesin, tamquam auro purpuram, illustraret, diligenter colligere oculisque omnium, ut imitandi ratio pateat, subicere. totum opus erit egregium; sed hanc maxime partem, in qua non admodum aliorum elaborauit industria, a te homines eruditi uehementer exspectant et augetur exspectatio sermonibus meis. Quare uelim, si quid ego apud te sum, uel potius, si tibi ipse carus es, ad urbem te conferas ineunte uere. nusquam certiora aut maiora bonis artibus sunt proposita praemia. aliis in locis, tamquam peregrina, procul adspicitur uirtus: hic statim colitur, ut domestica complexu excipitur, fouetur sinu. quis autem ipse sibi tam iniquus esse uelit, ut, ubi aliquem possit atque adeo maximum suorum laborum et uigiliarum fructum ferre, ibi non et sedem ponere et perpetuam uitam ducere animum inducat? Exempla ne quaeras; undique enim suppetunt. Haec tantum scripsi raptim in magnis temporis angustiis, ut intelligeres me esse memorem amicitiae nostrae et, cum assiduis distinear curis, de tuis tamen commodis et ornamentis cogitare. Vale. Romae, idibus Nou. MDLXI.

XLVII.

Ioanni Baptistae Titio Florentiam (VI, 8).

Cum quid ageres ignorarem nec iam, ut ingenue fatear, tui desiderium satis ferrem, quippe tua mihi suauitas, tuum ingenium, tuae litterae saepe occurrunt, amore sum impulsus, ut haec in magnis occupationibus ad te scriberem. Et ut ordiar a rebus Romanis, id primum cognosce, tranquilla hic esse omnia, nihil turbulenti, nihil aduersi. ciuitas quotidie magis hoc Pontifice reuiuiscit. ita non modo ipse excellit iustitia, pietate, beneficentia, uerum etiam suos omnes, egre-

giae illos quidem ad uirtutem indolis, uerumtamen suo etiam exemplo, quales esse debent, tales praestat. quod in magna potestate rerumque copia quam non facile contingat, utinam ueteribus tantum, non etiam recentibus exemplis cognitum haberemus. Multis locis aedificatur strenue; nam Pontifex, ut praestanti animo est, antiquae illius Romae speciem eximiam et formam cogitatione ac mente complexus excitari praeclara monumenta, uias restitui ueteres, nouas muniri, aquas etiam a longinquis fontibus impensa maxima in urbem duci iubet. quae cum erunt absoluta, nihil aspectu pulchrius, nihil magnificentius aut etiam commodius esse poterit. Ego quamquam tum aliis rebus, tum officio salutandi molestissimo quotidie fere distineor, iucunde tamen satis uiuo, si modo homini scientiae cupido sine librorum usu, quo perinuitus careo, iucundi quidquam esse potest. Praela nostra comparatis iam fere omnibus rebus, quae ad imprimendum pertinent, propediem in officio erunt et a Cypriani epistolis, quod felix faustumque sit, initium fiet. De tuo statu exspectabam omnino aliquid ex litteris tuis idque postulare uidebatur amicitia nostra. sed cum ea spes me fefellerit, nolui committere, ut uicissim ipse officium meum desiderare posses. Vale et salue a filio meo, cui raptim haec mane dictaui, cum in Vaticanum negotii caussa properarem. Romae, nonis Dec. MDLXI.

XLVIII.

Ioanni Turritiano Sermonetam (VI, 9).

In magna iucunditate, quam tua mihi attulit epistola, molestiae nonnihil ac doloris adspersit illa pars, in qua Bonifacii Caetani nomine, Principis egregii, cuius causa uelle me omnia atque etiam debere confiteor,

accurate petis, ut ad eius filium liberalibus excolendum disciplinis conferam studium et industriam meam. quod quidem antea cum et saepe et uehementer peterent Cardinales aliquot optime de me meriti, inuitus equidem tamen pernegaui, neque uero ob eam caussam, quia priuatim docere, praesertim in urbe Roma, dignitatem non habere arbitrantur multi. quod mihi quidem uidetur secus. quod enim scire honestum est, id cur docere turpe sit, non intelligo; sed multo magis, quia publici muneris cura libenter a me pro communi utilitate suscepta uacui sane temporis minimum relinquit et id ipsum, quod relinquitur, iure quodam suo sibi postulant atque exigunt studia mea. quamquam ab his me saepe uel salutandi necessitas uel amicorum auellit interpellatio. ita traducuntur dies. honeste, inquies. fateor. addo etiam, satis iucunde. non enim me *μισάνθρωπον* quendam, abhorrentem a consuetudine hominum et humanitatis expertem natura finxit. uerumtamen cum illa tibi non ignota studiorum nostrorum suauitate uoluptatem nullam comparo. quod si nobilissimi adolescentis confirmandum optimis artibus ingenium susciperem, ualde mihi cogitandum esset, quid patri eius et patruo, quid etiam aui memoriae, quem colui studiosissime, quid familiae claritati deberem. saepe mihi occurreret mea fides et suscepti ratio muneris et hominum quoque opinio, cui seruiendum esse non ignoras. quae profecto uel singula tanti sunt, ut maximam a me diligentiam flagitare uideantur, cum in hac tot rerum occupatione ne mediocrem quidem praestare possim. Filius meus, cui te bene ominari gaudeo, mea uoce iam, qua quotidie fere aures eius antea personabant, in discendo non utitur. sic enim in utraque uersatur lingua, ut suo iam studio potius, quam nostra proficiat industria. Quare uelim eo te esse loco fingas, quo ego sum, et, si nec officii me putas ignarum esse nec obstare, quominus officio satisfaciam, uoluntatem uides.

tribuas hoc amicitiae nostrae et aequitati tuae, ut caussam meam apud optimum Principem diligenter agas eique de meo sensu et studio ita fidem facias, nihil ut sibi tam esse deditum sentiat, quam operam omnem meam atque curam, nec malle me quidquam, quam eius, cum possim, obsequi uoluntati et, cum non possim, uehementer angi. hoc tu cura et perfice, si me graui sane sollicitudinis onere leuatum uis. facile, ut opinor, uel humanitas illius uel ratio ipsa, quod cupimus, impetrabit idque a te, ne uidear humanitati tuae diffidere, pluribus uerbis petere non debeo. Vale. Romae. XVI. Kal. Januar. MDLXI.

XLIX.

Ad Pium IV. Medicem Pont. Max. in librum Reginaldi Poli Cardinalis de Concilio (Praef. XXIV).

Optime consuluit Ecclesiae suae Deus atque humano generi uniuerso, cum in tanta rerum omnium perturbatione et extremi iam periculi metu Vicarium te suum, Pie IV., inter homines constituit, ut omnibus malis prudentia tua mederetur nosque a summis difficultatibus uel impendenti potius exitio ereptos, ad summam tranquillitatem et optatam antea magis quam speratam felicitatem traduceret. itaque nunc, tuis adducti praestantissimis et consiliis et factis, maxime uero tua freti iustitia, quae tibi prima et antiquissima uirtus est fuitque in omni uita, boni uiri ex omnibus Italiae partibus atque etiam ex transalpinis gentibus multi ad Vrbem confluunt et, quia tuas omnes curas eo spectare uident, non ut angustis paucorum annorum terminis tuae fructus beneficentiae definiatur, sed

ut ad posteros quoque perueniat, hic sibi certam omnium rerum ac fortunarum suarum sedem domiciliumque constituunt. me quidem Venetiis, domestico patris mei restituendae antiquitatis instituto et honeste satis et commode uiuentem nihilque minus, quam de migratione cogitantem, quippe cum ab egregiis saepe ciuitatibus atque adeo a superioribus Pontificibus semel et iterum optima inuitatus condicione, nihil tamen umquam noui consilii cepissem, tui Pontificatus fama Romam facile perduxit. nam cum ab summo uiro, Hieronymo Seripando, cui tua sapientia debitum iam pridem eius integritati atque doctrinae in Cardinalium collegio locum tribuit, litteras accepissem, in quibus erat scriptum cupere te sacros omnes libros uel hominum incuria uel improbitate corruptos quam emendatissimos peruulgari uelleque in eo opera uti et industria mea, spatii ad deliberandum nihil sumpsi, statim rescripsi, cum tua uoluntas maximae legis uim pro summa tua non modo potestate, uerum etiam sapientia obtinere apud omnes debeat, ita me animatum, ita paratum esse, tibi ut in omnibus rebus libenter obsequerer, susciperem, quaecumque uelles, agerem et praestarem, quidquid possem. Quo quidem tempore non mihi aut ulla nouorum commodorum, quibus tamen ducuntur multi, est iniecta cupiditas, aut honorum splendor mentis oculos praestrinxit. quamquam haec ipsa cumulate et exspectari a tua liberalitate posse et omnibus praeclare agentibus deferri a te solere intelligebam. sed cum audirem eas artes, quarum fructus immortalitas est, longo interuallo te Pontifice coli coeptas esse, suam religioni ac uerae pietati dignitatem restitui, cedere uirtutibus uitia, rationi amentiam, libidinem pudori, uim aequitati, haec ego sum secutus, haec omnibus et commodis et honoribus anteposui. Erat praeterea mihi non modo laudabile et honestum, sed illustre etiam et gloriosum uocari a Pio IV. Pontifice ad eam curam, ut sanctissimorum

uirorum scriptis, quibus humano generi salutaris doctrina continetur, emendandis edendisque praeessem. quo in munere si mihi, non dico magnos labores excipere, (quis enim bono uiro labor est pro tuenda Ecclesiae dignitate, idest pro communi salute recusandus?) sed si uitam ipsam profundere opus esset, egregie mecum actum putarem. Atque ego illam sane incredibilem capio uoluptatem, quod, cum praeclarum esse nihil constet, quin idem operosum et perdifficile sit, hac tamen in re omnium pulcherrima ac praestantissima plane omnes difficultates tua tum excellens liberalitas, tum singularis sapientia sustulit. quis enim umquam tam diligenter pecunias collegit, quam tu libenter effundis, ut exeant optimi libri, alii nondum editi, quorum notitia rectissimam ad fontem ueritatis uiam ostendit, alii sic emendati, ne qua supersit labes, quae imperitorum animos obiecta falsae doctrinae specie possit inficere? quo quidem antea malo nimium grauiter laborauimus. utinam iis remediis, quae parantur, omnino liceat conualescere! quod ita facile consequemur, si modo is, qui optimarum et maximarum auctor perfectorque rerum est, affuerit Deus. nam nos quidem, ut opibus ualeamus, ut acumine mentis excellamus, quam tamen infirmi simus ad omnia, nisi praepotentis Dei ope fulciamur, quam plane caeci, nisi eiusdem luce regamur, multorum turpissimus et miserrimus exitus ostendit. quis porro affuturum esse Deum dubitet, si sanctissimam illius doctrinam, quam praeceptis declaratam plurimis suo demum ipse sanguine suaeque mortis exemplo comprobauit, non uerbo tantum profitebimur, sed uita etiam et moribus exprimemus? Hoc tu scilicet, Pie Pontifex, illo primum uidisti die, quo te in excelsa ista sede fauente et approbante diuino Spiritu omnium Cardinalium sententia collocauit. neque uero uidisti solum, quod tibi fortasse cum multis commune esse potuit, sed etiam, in quo propria tibi debetur laus, accurate praestitisti.

tu enim ipse tua temperantia, iustitia, grauitate, constantia, quales esse alios oporteret, exemplum dedisti. inde manauit statim ad propinquos et affines tuos bene uiuendi disciplina, quorum omnium incredibilis abstinentia, humanitas, pudor ciuitatem breui correxit et conformauit uniuersam. Nunc in illam curam totus incumbis, ut reliquae partes Ecclesiae, discordia labantes, omni a te ratione sanentur. serpit enim quotidie longius transalpinum illud malum, a quibusdam primo ignoratum, ab aliis postea neglectum, postremo a nonnullis etiam uehementer auctum. sed, ut hoc placuit Deo, quo uolente aut saltem permittente geruntur ea, quae cur ita fiant, caussas indagare nostrum non est, sic eidem placebit, ut imminutam Christianae Reip. dignitatem tua uirtus et sapientia in ueterem integritatem splendoremque restituat. Instat a te indictum et institutum iam generale Concilium, cuius ea ratio, ea uis, ea consuetudo semper fuit, ut sanctissimi Spiritus interuentu dissidentes animos non concordia solum et pace, uerum etiam beneuolentia studioque coniungeret. Hoc tu nos, Pie IV., remedio seruabis errantemque gregem disiectum uaria culpa, tanquam Pastor optimus, ad obedientiam reuocabis continebisque in officio et obseruantia erga diuinas leges tum perpetua sanctitate tua, unde hauriunt omnes exempla omnium uirtutum, tum uero iis etiam edendis in hac urbe libris, quorum lectio malas et exitiosas euellit ex animo opiniones, inserit eas, quae si coluntur pietate et beneficentia, uberrimos et praestantissimos et plane salutares fructus ferunt. Atque huius quidem tanti ac tam praeclari muneris initium unde sumi aptius potuit, quam ab eo libro, cuius argumentum et cum ratione temporum et cum tuis consiliis ac studiis optime congruit? quid enim tempora, quid status Ecclesiae poscit, quid tu optas curas ue magis, quam Concilium, quod unicum et certissimum in tam graui discrimine, tam propinqua communi peste

superesse remedium uidetur? at in hoc libro, quem tuo iussu primum emittimus, proxima ostenditur ad salutem uia. spes omnis in confessione culpae, in uitae ac morum emendatione, in summa demum Pontificis auctoritate collocatur. Quae cum per se maxima sunt et curandis Christianae Reip. uulneribus utilissima: tum uero ponderis accedit plurimum ab eximia scriptoris innocentia, doctrina, pietate. quis enim, quibus animi bonis, quibus industriae ingeniique ornamentis abundauerit, qui denique uir quantusque fuerit Reginaldus Polus, aut ignorat aut, si quam modo tantarum laudum partem habet cognitam, non earum memoria et desiderio uehementer commouetur? potest ne quisquam tam inops a iudicio, tam auersus ab humanitate, tam plane ferus esse ac ferreus, qui non intimis eum sensibus dilexerit, cuius non modo in studiis, in moribus, in sermonibus, sed in ipso plane adspectu omnis probitas, omnis luceret humanitas? De religione uero deque Christiani hominis officio quid senserit et iudicarit, non aut in uno alterò ue libro ita ostendit, ut in aliis umquam dissenserit, aut ita scripsit, ut aliter uiueret, aut ita uixit, ut interdum sibi non constaret, sed omnia litteris ab illo prodita sine ulla exceptione semper laudarunt hodieque laudant boni et sapientes uiri, quorum directa ad ueritatem ipsam, idest ad unam Dei gloriam sententia nec obtrectandi studio aut inuidia flectitur nec maleuolentia aut ambitione mutatur. Vitae uero totius instituta et excellentem in omni actione omnique fortuna pietatem utinam, quam facile nouerunt, tam libenter imitarentur multi! Opes, honores, clientelas, Regum maximorum gratiam et beneuolentiam qui assequuntur, proxime ad felicitatem putantur accedere. at ille haec omnia apud Henricum, Britanniae Regem, et iure propinquitatis et multo etiam magis sua uirtute cum possideret, ultro contempsit, ne turpissimas Regis actiones et aduersantem Christi uicario sententiam probare aut

etiam adiuuare cogeretur. Patauii diu uixit, quamquam erat habitu naturae prope diuino, liberalibus tamen disciplinis uehementer deditus; et cum eloquentiae atque philosophiae pari studio flagrauerit, in utra tamen magis enituerit, non facile est existimare. illud certe constat, qui uel meliora uel ornatiora scriberet, hac hominum memoria extitisse neminem. quamquam id ei propositum fuit, eo direxit cogitationes omnes atque curas, ut philosophiae scientiam non tam scriptis, quam uita ostenderet. itaque maior atque excelsior Patauii in tenui et humili fortuna fuit, quam cum in Regno omnibus copiis et ipsius maxime Regis gratia floreret. Hic, hic nimirum uerus est ac praestantissimus optimorum studiorum fructus, si quis a se ipso pendeat, si temporum uicissitudines non extimescat, si aduersus hominum iniquitates fortunaeque iniurias ratione et uirtute pugnet. quam in Polo constantiam et sapientiam fuisse quis ignorat? metuendae erant a Rege potentissimo insidiae, metuenda uis, propterea quod suscepta Ecclesiae caussa luculento illo de Pontificis auctoritate libello susceptum simul a se grauissimum eius odium intelligebat. deserebatur etiam quotidie magis a re domestica, fortunis exclusus amplissimis. nemo tamen eum deiecto aut demisso sensit esse animo, nemo uidit umquam tristiore uultu. in sermonibus, in consuetudine, in conuictu, in tota denique uitae ratione tranquillitatem mentis, quem habuerat antea, perpetuo retinuit. Nec defuere, quae numquam sperauerat ac ne cogitauerat quidem, tantis debita uirtutibus praemia. nam cum ita uiueret, ut in uno Deo omnia poneret, cetera, quae mortales admirantur, infirma, caduca, inania duceret, cumque in illa Patauini gymnasii celebritate, domesticis otii sui finibus contentus, paucorum admodum consuetudine uteretur, breui tamen, ut sibi uiam facile uirtus aperit, ita manauit fama de admirabili eius prudentia, temperantia, doctrina, ut ad aures Pauli III. Pont. Max.

peruenerit. qui cum esset ea mente praeditus, ut nemo umquam magis de ornanda egregiis Cardinalibus ecclesia cogitauerit, eo iudicio, ut nemo in delectu errauerit minus, commotus multorum non dubio sermone Reginaldum Polum disciplinae Christianae renouandae caussa cum praestantibus aliquot uiris ad Vrbem acciuit eumque paullo post non petentem, non optantem, prope etiam recusantem Cardinalem creauit. In hac dignitate, cum alios antea, se ipsum uicit omni genere laudis. Omitto singularem illam, cui par oratio nulla reperiri potest, in caede matris acerbissima fortitudinem atque constantiam. unicum illi contra omnes iniurias omnesque calamitates conscientia praesidium fuit et in aduersis rebus iam antea didicerat esse fortis. grauitatem eximiam pari comitate conditam, mansuetudinem, prudentiam, benignitatem in subleuanda miserorum inopia non attingo. communia sint haec, in quibus tamen praecipua quadam laude Polus excelluit: uenio ad id, quod a Cardinalis persona proprie postulatur. Nam, ubi primum sacerdotio est ornatus amplissimo, non ille mentem, ut multi, cum fortuna mutauit, non sericam uestem, non argenteam supellectilem, non denique illustrem aliquam aut opimam prouinciae praefecturam appetiuit, sed contemta prorsus rerum humanarum specie diuina studia, quae antea non leuiter attigerat, toto pectore complexus de tuenda Pontificii iuris maiestate, de augenda inter homines Dei gloria, de illustranda ueritate dies noctesque cogitare coepit. quantum enim in ea philosophia, quae a sensibus ducitur, erroris insit atque obscuritatis, cum antea non ignorasset, tum uero totus ad eam philosophiam traductus, quae caelestium bonorum cognitionem parit, clarissime perspexit. iam illam, quae colligitur ex rhetorum praeceptis, eloquentiam, in qua praeter ceteros antea floruerat, neglexit penitus inanemque duxit, cum sacrorum librorum uoces non aurium uoluptati seruientes, sed ad intimas animorum partes incredibili

quadam suauitate penetrantes exaudiuit attentius. Nec uero quidquam habuit antiquius, quam ut a sanctissimis Ecclesiae legibus discedentes quoquo modo ad sanitatem redirent, cum ipse multos cohortatione sua, consilio, doctrina, nonnullos etiam lenitate quadam ad meliora consilia conuerteret. Incidit tempus, cum de sufficiendo post obitum Paulli III. Pontifice habenda Cardinalibus deliberatio esset. affuit Polus ita sedato animo, ita cupiditatis et ambitionis expers, ut maiore Collegii parte Pontificatum ad eum deferente non statim assenserit differendamque rem tantam in posterum diem censuerit. fore enim, si probaret Deus, eundem post aliquot horas Cardinalium consensum; sin minus, omnino sibi, quod Deo displiceret, placere non posse. Scripsit etiam in eo Conclaui praeclara quaedam de officio Pontificis, quae cum aliis eius libris, quos Ioannes Moronus, Cardinalis ob summa erga Sedem Apostolicam merita perpetuamque uitae innocentiam clarissimus, accurate seruauit, propediem in lucem proferentur. quibus in libris cum spirare adhuc mens illa diuini hominis et uigere uideatur, afficimur non tam praeceptis atque doctrina, quam recordatione tantarum uirtutum, quas in illo uidimus. Vitae clausula fuit, in qua ostendit lumen animi ingeniique sui, Britannica legatio. nam cum in illa insula per annos multos duorum Regum imperio, Henrici primum, deinde Odoardi eius filii, legitimus Dei cultus intermissis optimis ritibus obsoleuisset cumque interitus Odoardi succedente eius sorore Maria spem aliquam reuocandae pietatis et religionis attulisset, uisa est unius maxime Poli sapientia rectam errantibus uiam monstrare posse, adiuncta praesertim auctoritate tanta, quantam nec sine uirtute dignitas ulla pareret, nec sine dignitate uirtus. in ea legatione optimos Reginae sensus confirmauit, principibus uiris et multitudini persuasit, ut nouam haeresim Henrici nefaria libidine inductam abiicerent, ueterem sacrorum disci-

plinam rationemque susciperent, cum Ecclesia, si salui esse uellent, in gratiam redirent; unum esse Romae potestate summa Christi Vicarium, in quo creando commotae Spiritu sancto Cardinalium mentes ex uetere multorum saeculorum instituto, tradita per manus consuetudine consentirent; quaecunque ille sanciret in terris, ea firma et rata in caelo esse; cetera communi saluti uehementer aduersari, hominum seditiosorum, uel Satanae potius ipsius inuenta, ut genus humanum, si possit, uniuersum perdat suaeque socios habeat plurimos infelicitatis et culpae. Mansit in officio, quamdiu Polus et Regina uixerunt, Britannica natio utriusque innocentia et sanctitate, alterius etiam sermonibus praeceptisque commota. Postea, cum utrumque Deus, cuius abdita consilia non assequitur humana mens, ad caelestis uitae praemia uocasset, lapsa est iterum et concidit illa gens destituta consiliis, quibus antea nitebatur. iamque ad finitimas nationes peruasit haec pestis et dira contagio nec uideretur posse consistere, nisi tua, Pie IV. Pont. Max. sapientia singularis occurreret Tridenti indicto concilio, Romae omnibus rebus ad rationem aequitatemque reuocatis. Quod uero etiam eorum scripta, quos in beatorum numerum iure olim Ecclesia retulit, integra, deletis omnibus maculis peruulgari iubes; quod excellentem nobis Reginaldi Poli amissa eius uoce doctrinam restituis: mirum est, quam uehementer adiuues communem caussam, quantum se tibi pro ista mente istaque cura omnes homines debere fateantur, quantam ab ipso Deo, qui tibi nostram salutem commisit, gratiam et beneuolentiam ineas. Haec sunt illa merita, quibus hominum uita breuissimis circumscripta finibus ad infinitam memoriam propagatur; haec illa numquam satis laudata ueterum Pontificum instituta, quibus hanc nobis Ecclesiam tam praeclare fundatam exstructamque reliquerunt. quae utinam, sicuti propria tua sunt, ita perpetua esse possent! nemo enim dubitat, quin optare tibi perpetuam

uitam idem sit optare nobis perpetuam felicitatem. nec uero cuiquam bono uiro tanti est huiusce lucis usura, quin de sua detractum aliquid uita libenter, si possit, in tuam conferat. sed quoniam hac lege huc omnes ingredimur, ut aliquando discedamus, nec licet nobis in te uno singularem condicionem pro tua singulari beneficentia postulare, saltem, ut quamdiutissime te praesente perfruamur, et petimus a Deo supplices et futurum pro summa eius erga nos clementia confidimus. magna enim sunt, quae iam inchoasti, maiora tamen, quae mente designas. nihil uulgare cogitas, nihil humile, nihil angustum. metiris omnia tua dignitate potius quam communibus exemplis. praeclare, non enim Pontificiae laudes in mediocritate uersantur; nec decet, qui potestate et honore cunctis hominibus antecellat, eum ab ullo homine recte agendi cupiditate studioque superari. In te igitur, Pontifex Max. primum tuendae atque amplificandae religionis, deinde eius otii conseruandi, cuius auctor et custos antea fuisti, sita omnis spes est. a te honesta studia, a te liberales disciplinae, a te ipsa uirtus ornamenta sua repetit. tu, quod facis et fecisti egregie, perpetuo facies, ut omnes gentes diuturna pace, iustitia, pietate foueas, urbem Romam operibus magnificentissimis et cum ipsa antiquitate comparandis exornes, ciuitatem tui studiosissimam, superiorum temporum calamitatibus afflictam perpetua benignitate recrees, denique tollas aliquando ex imperitorum animis dubitationem illam, quae laudabilia multorum studia remoratur, utrum res maximas fortuna possit sine uirtute perficere, an uirtus, quo contendat, sine fortuna peruenire. de quo quid sentires ipse, ostendit iam pridem uitae tuae ratio; nunc, ut omnes idem sentiant, facile unus praestare potes restituta iis artibus dignitate, quae te talem tantumque fecerunt, ut, quales ipsae quantaeque essent, ope tua studioque omnes mortales intelligerent. [Romae MDLXII.]

L.

Pio IV. Pontifici Maximo (VIII, 1).

Quid antea de litteris ac bonis artibus existimaueris, Pie IV., Pont. Max., quam semper fueris hodieque sis ad eas excitandas ornandasque praeclare animatus, et omnes iam pridem norunt et ego superiore anno sum expertus, cum eo me consilio Romam euocasti, ut sacros praecipue libros ab haereticorum nefaria peste uindicatos ederem quam liceret emendatissime et in hac elegantioris olim doctrinae parente atque altrice, nunc diuinorum institutorum custode ac praeside Vrbe perpetuum meae uitae domicilium collocarem. cum ista mente istaque ad bene agendum propensione summam potestatem coniunxit Deus, non solum ut impendentes Reip. Christianae calamitates auerteres, quod a te curari egregie atque effici omnes fatentur, uerum etiam ut a publica cura oculos interdum conuerteres ad priuatorum incommoda, eaque cum uideres, opem afferres non pro cuiusque libidine, sed pro iudicio ac sapientia tua. haec me cogitatio diu uerentem, ne appellare litteris Maximum Christi Vicarium, excubantem animo semper pro Christianae Reip. salute, impudentiae posset adscribi, ab ancipiti consilio ad certam sententiam reuocauit efficitque, ut ea scribere audeam quae ne coram agerem, maiestate tua primum, deinde etiam pudore quodam meo sum deterritus. Totum hoc imprimendi munus, quod mihi a te mandatum pro mea fide curo, duas habet partes: publicam unam, quae ad communem animorum utilitatem pertinet, ut e sacris libris maculae omnes eluantur; alteram priuatam, ut ea mihi interim suppetant, quae si absint, mecum et cum meis agatur incommodius. Quod ad priorem attinet, facerem arroganter, si tibi tantam rem, qua nescio an ulla magis hoc quidem tempore omnibus expediat, studeam commendare, cum quattuor

spectatae uirtutis et innocentiae Cardinalium, quos huic negotio praefecisti, singularis prudentia nihil deesse patiatur. quare hanc partem, cui nondum tua liberalitas defuit nec, ut spero, umquam deerit, omitto non inuitus: de me ipso, siquidem tua permittat humanitas, (quid autem ea non permittat?) attingam pauca. Ego cum ad Vrbem ueni, licet a Pio IV. recte et laudabiliter uiuendo sperari posse omnia confiderem, tamen efferri me cupiditate numquam sum passus, nec sitiui honores nec auri argentique splendore sum captus; id scilicet unum spectaui maxime, ut beneuolentia tua, in qua pono omnia, perpetuo fruerer, eaque me, quantum consequi studio, quantum industria liceret, non indignum praeberem. domesticis rebus, quas negligere prorsus, qui pater est, non potest, amare nimium, qui se Christianum esse meminit, non debet, satis consultum putabam honorario illo annuo, quod a tua benignitate impetraueram. nec dubitare tamen poteram, si quid praeterea meae rationes exigerent, quin id haurire possem ex eodem fonte, ad quem aditus ambitiose petentibus uix pateret umquam, moderata cupientibus praecludi numquam soleret. sic annus abiit nec mihi nouam interea cupiditatem dies attulit. quae etiam admonet, quo propius ad huius peregrinationis, quae uocatur uita, finem accedimus, eo minus de uiatico laborandum. itaque mutatum nihil est in consiliis meis: animus, quos antea sibi fines praescripserat, iisdem se continet, ultra nihil appetit. sed corporis alia quaedam ratio est. aetas iam ingrauescens quasi extra ordinem multa desiderat; multa etiam praesertim in laboribus ac studiis ualetudo requirit imbecillior. quae si negligam, ingrate mihi uidear agere cum Deo, a quo acceptum munus magni facere ac tueri diligenter debemus. quid caritas libe-

---

1 'Cardinalium': Moronus, Amulius, Tranus, Carolus Borromaeius.

rorum meorum, quibus in me uno sunt omnia? ea me appellat nec patitur obliuisci, quid naturae debeam, et mihi me ipsum eo nomine commendat, quod in mea salute multorum salus fortunaeque nituntur. Quae cum ita sint et cum his caussis, quas commemoraui, magnopere confidam, tamen ita statuo, maiorem commodi mei spem in tua praestanti bonitate mihi esse reponendam. quare nihil definio neque mihi certum beneficii nomen peto. quod qui faciunt, ignorant scilicet, a quo petant, et in angustum reuocant, quae latissime patet, benignitatem tuam. ego rationes meas Principi maximo et ad beneficentiam nato commendare me intelligo. nihil me postulare praecipuum decet. unum illud indicare satis est, fulciri oportere subsidio aliquo fortunas meas. quod ipsum tamen uoluntati arbitrioque tuo totum permittatur. mihi quidem, si quid a tua liberalitate proficiscatur, quidquid sit, aeque gratum futurum est, ac si me omni beneficiorum genere cumulasses. [Romae. MDLXII.]

LI.

Carolo Borromaeio Cardinali (VIII, 2).

Non patitur aut benignitas aut consuetudo tua, ut appellandus a me sis de eo, quod semel et iterum humanissime promisisti, et ego is sum, qui, quod semel petii, licet ad constituendas fortunas meas ualde pertineat, impetrare cupiam, non exprimere. uerumtamen non sum ueritus, ne tibi molestiam afferret iterata petitio, hominis praesertim studiosissimi et de tua laude, quantum imbecillitas mea praestare possit, assidue cogitantis. Optabile est, ut, qui optima cupiunt, iidem uel omnia possint, uel apud eos, qui

possunt, auctoritate et gratia plurimum ualeant. tibi utrumque contigisse non stulti homines arbitrantur. nam et natura propensus es ad ea, quae praeclara sunt, et haec ipsa propensio singulari ingenio et uirtute coniuncta ita tibi amorem conciliauit sapientissimi Pontificis, auunculi tui, ut, cum omni te munere dignum ducat, tum uero libenter translata in te grauissimorum negotiorum parte releuetur. amplectere igitur pro tua summa prudentia, uel retine potius, quam amplexus iam es, occasionem diuinitus datam. eripuit iam benemerendi consuetudinem temporis iniquitas. eam si restituis, quod facere coepisti et facies, iisdem, quibus maiores tui, gradibus in caelum adscendes relicta tuae familiae gloria, quam nulla dies exstinguat. Ego autem si per te consequor, id quod in manu tua situm est, ut Romae libenter uiuam — uix enim libenter, ubi parum commode, quisquam uiuit — dabo operam et fortasse efficiam, ne sit obscurum beneficium tuum. memoria quidem et uoluntate, si re ipsa minus potero, ingrati animi culpam uitabo. Vale. Romae, IV. Kal. Nou. [MDLXII].

LII.

Mario Nizolio Parmam (VI, 16).

Dum aliquid ad te scribere quotidie cogito et tamen diem e die exspecto spe uacui temporis, non modo ut commodius, sed etiam ut uberius possem scribere, fecit, ut anteuerteres, humanitas illa tua, quam ego coniunctam pari doctrina in amore et in ore semper habui. ac mihi quidem siue ratio ipsa siue amor in te meus facile persuadet, ut praereptum abs te officii priorem locum non solum aequo animo feram, uerum etiam gaudeam. quid enim mihi aut

est aut esse debet optabilius atque iucundius, quam, a quo maxime omnium diligi cupio, eum dare operam, ut id me esse consecutum intelligam? Quod autem eorum librorum, in quibus et figurarum et argumentandi amplificandique uaria genera complecteris, quasi specimen quoddam ad me mittendum putasti: siue tu id feceris, ut obsequerere studio meo, cum id me ualde cupere intelligeres, siue ut eliceres iudicium meum, quod me uelle tua caussa multum, posse aliquid fortasse hac quidem in re, animum induxisses, utroque nomine est sane, cur te amem ac tibi debeam plurimum. nec deesse patiar, qualecumque est, uoluntati tuae iudicium meum. Ego enim, ut uere dicam, istam excellentem ad bene de litteris merendum animi tui propensionem ita probo, ut efferam laudibus. agere autem haec te simul omnia et implicari tot rebus eodem tempore, quas curare singulas et conficere permagnum est, aeque probare non possum. Nec me fugit, argumentandi amplificandique ratio, praesertim a te tradita, quem afferre fructum possit. sed figurarum uia, natura obscurior, praeceptis ad hanc diem minus cognita, usu certe parum trita, poscere primo loco uidetur lumen aliquod doctrinae tuae, ut ad exoptatam omnibus eloquentiae laudem certum iter aliquando unius industria patefaciat. duo reliqua mox; sunt enim praeclara planeque studio tuo digna. interim hoc unum si ages, primum tibi ipsi laborem ualde minues, sine ulla tamen imminutione laudis tuae; deinde communis desiderii exspectationem ex inueterata iam tuae uirtutis opinione ortam explebis aliquanto maturius. quam multi enim sint, qui haec latinae orationis lumina nondum uiderint ac ne esse quidem ulla suspicentur, quam pauci uero, qui, cum ea uideant, imitandi tamen uiam et rationem ignorent, scis ipse omnium optime et iudicasti iam ab illo tempore, cum te hac ipsa de re confecturum esse artem quandam eamque illustraturum unius Cice-

ronis exemplis professus es. nimium diu debes, mi Nizoli, quod olim petentibus a te tribus familiarissimis tuis tuaeque gloriae cupidissimis, Petro Bunello, Paulo Magnulo, mihi, tunc adolescentulo, saepe promisisti. nec tamen urgere te audeo, hominem aetate infirmum, oculis non bene utentem, publico etiam docendi munere districtum. sed meam sententiam de re dicendam putaui. in quo habui rationem in primis ualetudinis tuae, ueritus, ne, cum multa senex admodum susceperis, omnia perferre uix possis. de tempore autem etsi iam indicaui non tam, quid ego, quam quid omnes cuperent, tamen moderaberis ex prudentia tua et eo quidem animo, ut in magna exspectatione nos quoque de tuo commodo uehementer laborare tibi persuadeas. Equidem, si me audis, etiam illud suaserim, ne ad figuras oratorum similia aggregares poetarum loca. quorsum enim? cum ab uno Cicerone omnis ubertas et quasi silua tum rerum tum uerborum sumi possit. quod si poetis prodesse uis, hoc quoque separatim fiat: bene locabitur industria. nec ego aspernor ea studia, quae colui adolescens et quorum ope fateor me ad aliquam oratorii numeri scientiam facile peruenisse. nunc elabores uelim et hanc unam et simplicem omnium, ut ego sentio, maximam ac difficillimam eloquentiae partem. quo in genere siue tu uerborum siue sententiarum ornamenta quaeras, non uideo, cur uno Cicerone contentus esse non possis. mihi quidem, cum immensas eius opes intentis oculis contemplor, egere interdum ipsa paene Graecia uidetur. certe de nostris, qui ad eandem laudem adspirare potuerit, neque fuisse antea neque fore quemquam puto. Dixi, quid sentirem, ingenue pro mea consuetudine, libenter pro amore in te ueterrimo atque uerissimo. tu quid statuas, utrum instituta commutes, an, ut coepisti, pergas, pro tua singulari sapientia iudicabis. Commentarios meos in epistolas Ciceronis, quae Familiares uocantur, cum

a te exspectari uideo, augeri mihi animos ad scribendum sentio. et quamquam tu non instes, admoneri tamen uideor, ut absoluam. sed hoc nec sine otio fieri potest et Romae otium optare eius est, qui Romam ipsam ignoret aut qui, quod accidat uniuersis, in eo sibi praecipuam condicionem sperare solus audeat. Sed quia cessamus inuiti et quia, quod fuit in opere difficilius, id transactum iam est, enitemur, ut reliqua diu non desiderentur. angustiae temporis obstabunt. at detrahere aliquid somno et conferre ad lucubrandum licebit. turpe enim nobis est, qui uersamur in artium nobilissimarum studiis, antelucana uinci leuiorum opificum industria, praesertim cum illi nihil praeter ea, quae corpori seruiunt et uetustate corrumpuntur, nos animi fructum cum nominis immortalitate quaeramus. Vale. Romae, IV. Kal. Dec. MDLXII.

LIIII.

Andreae Gostinio Cracouiam (VI, 17).

Recte coniecisti obrui me plane negotiorum fluctibus. nam qui antea, cum essem Venetiis, uel infimi ordinis hominibus respondere ad me scribentibus consuessem, scilicet Andreae Gostinio, doctissimo et eloquentissimo uiro, summa apud principes auctoritate et gratia, humanissime scribenti nihil rescriberem. tum uero me hominem non esse minimeque dignum iis litteris putarem, quibus ab ineunte aetate ita meum studium dedi, nihil ut antiquius habuerim, nihil omnino dixerim praestantius. Feci tamen in summis occupationibus, ut orationem tuam legerem. de qua sic statuo, scriptam esse grauitur et ornate, sic, ut ex ista prouincia, quae nunc egregiis floret ingeniis, tibi comparem paucos, anteponam neminem.

quo sane nomine uehementer tibi gratulor et liberalibus disciplinis, quibus ab ista eloquentia quantum ornamenti possit accedere, mente iam prospicio. Perge, mi Gostini, per eam uiam, quae te ad immortalem gloriam ducit. nihil optabilius sapienti, quam ea quaerere, quae uulgus contemnit, eos uitae terminos, quos natura praescripsit, uirtute proferre. quod tu potes et uelle debes, et, ut uelis, ego te amicitiae caussa nuper inter nos institutae non solum moneo, uerum etiam rogo. De migratione nostra uideo te ex aliorum litteris cognouisse. nunc ex meis hoc scito amplius, cum hic honestissimorum hominum et beneuolentia et consuetudine fruar, nec mihi quidquam in mentem uenerit optare ac petere, quod a summo Pontifice Pio IV. non facile sim consecutus, angi me tamen, quod studiis nostris, quorum quae sit suauitas, ipse optime nosti, ita diuellar, ut ex iis, quae pro communi utilitate non pauca eram exorsus, pertexere nihil liceat. quam iacturam, fortasse re minimam, tamen, ut ad iuuandas bonas artes animi mei propensio est, fero molestissime. Quocirca tibi iam tuique similibus, qui mihi uoluntate pares doctrina et otio praestant, cogor tradere uigiliam meam idque facio libentissime, qui publici commodi rationem ipsam per se, non cum mea laude coniunctam, plurimi semper fecerim. Ego tibi, si quid operae nauare possum, id totum polliceor ac defero. seruiam libentissime, quantum in me erit, uoluntati commodisque tuis. Vale et Petrum Miscouium, Andream Patricium, singulares uiros, quibus fortasse excidimus intermisso litterarum officio, rogo te, meis uerbis diligenter saluta. Romae [MDLXII aut MDLXIII].

LIV.

[Andreae Duditio] Episcopo creato (VI, 22).

Etsi de futuris rebus affirmare grauitatis et prudentiae non uidetur, coniecturam enim saepe fallit euentus et obscuritatis plena sunt omnia, si quis tamen eas persequitur diuinandi uias, quae ab excellentibus et ingeniis et studiis a cognita industria, a spectata uirtute ducuntur, hunc ego opinionis errore numquam labi, hunc optimum esse uatem existimo. quae me ratio mouit ante aliquot annos, ut de tua dignitate praedicerem ea, quae partim consecuta iam sunt, partim sic a me exspectantur, quasi longe non absint. quid enim agebant et quo spectabant curae illae tuae ab ipsa paene pueritia susceptae? quae res, quae spes tibi proposita fuit, cum Reginaldi Poli Cardinalis innocentia et litteris eximii contubernium ac domesticam consuetudinem expetebas? quid, cum Lutetiae post obitum Poli Vicomercato, Patauii Genuae, praestantibus in philosophia uiris, operam dabas? quidquam ne sequebare praeter ea, quae qui adipiscuntur, omni honore digni et habentur et sunt? nos quidem te, amici tui, Patauii praeclara studia ita complexum, ut diuelli uix posses, cum et creberrimae propinquorum litterae in patriam euocarent et praesens frater non modo hortaretur ad reditum, uerum precibus etiam peteret atque obsecraret, ui propemodum extrusimus, inuiti omnino, quibus carendum te esset, cuius consuetudine nihil suauius. sed ita duximus expedire tuae laudi, cum intelligeremus, quanto futura esset illustrior ingenii tui facultas, ab otio litterarum ad res gerendas traducta, praesertim in ista prouincia, in qua tibi maiorum tuorum uirtus tritum iter ad gloriam reliquisset, isto Imperatore, quo nemo bonas

2 Ab anno 1571 pro nomine asteriscus positus est.

artes excipit liberalius, his etiam temporibus, cum Christiana resp. domesticis hostibus uexata ab iis, qui eam doctrina, probitate, prudentia iuuare plurimum possunt, id est a tui similibus, opem poscere uideatur. Quocirca primum tibi gratulor ob actiones illas Tridentinas, in quibus ostendisti saepe, ut audio, pro communi salute lumen animi ingeniique tui, numquam inops a consilio in ambiguis rebus, numquam in maximis ac difficillimis a constantia relictus; deinde uero, quod tantorum meritorum egregie memor optimus et sapientissimus Imperator non solum Quinquecclesiensi te ornauerit Episcopatu, qui summis uiris deferri solitus honor est, uerum etiam ad arcanas res admissum iis interesse consiliis uoluerit, unde manat cum gloria prouinciarum salus, unde proficiscuntur ea, quae multis re, exemplo omnibus expediunt. omnibus enim utile illud est, quo Principibus Christianis recte imperandi ratio et emendatae disciplinae formula praescribitur. Atque equidem uidere iam uideor et plane coniectura prospicio, qualis et quantus in isto munere bonorum omnium beneque intelligentium sententia sis futurus, tum eloquentia, qua excellis, tum ratione, prudentia, integritate, quae in omnibus natura ipsa inchoat, industria perficit in paucis. quod nisi ita fore confiderem et nisi tuos ad laudem impetus iam inde ab eo tempore, cum te mihi quasi meis informandum sermonibus tradidisti, probe cognitos haberem, facerem id, quod tu, ut opinor, amori in te meo facile concederes: hortarer te et precibus etiam agerem, iisdem scilicet, quibus agerem cum filio meo, si isto loco esset, ut assiduo cogitares, quam personam gereres, quam grauem, quam illustrem, a quo impositam Principe. qui cum suum de te iudicium beneficio maximo declarauerit, beneficium tamen ipsum significatione iudicii sui uehementer auxit. quid enim putas esse in rebus humanis optabilius, quam ei non displicere, qui nisi Deo ualde placeret ualde-

que carus esset, incursione et ui barbararum gentium uastarentur omnia, legibus, moribus, hominibus, urbibus denique ipsis extremum impenderet exitium? Multa sunt opinionibus hominum excelsa atque ampla; quae si quis consequi uult, curas suscipiat, labores perferat, de ipsa interdum uita periclitetur necesse est. haec tibi, mi [Duditi], (meum enim adhuc appello, nec, ut spero, ista mihi te dignitas immutauit) haec, inquam, tibi cogitanda non sunt. nam quid tu non habes, cum habes hoc unum, ut mores, ingenium, studia tua Ferdinandus Imperator probet? hoc eiusmodi est, ut neque diu solum esse possit et, si omnia consequantur, omnia tamen unum uincat. Quare isto bono sic fruere, quasi fonte et capite bonorum omnium et quasi omnium maximo. Tuos uero sensus, tuas actiones in omni uita non dubito quin ad immortalis Dei gratiam conferas. sic educatus, sic eruditus es. hanc ego tibi laudem tribuebam adolescenti; nunc si uerear, ut robustior aliter sentias ac tui te dissimilem praebeas, faciam imprudenter. Retine igitur institutum et persuade aliis exemplo tuo uerum decus in bene agendi perpetuitate positum esse, nihil opes ad laudem, nihil praefecturas ualere, obsolescere prorsus honorum insignia, nisi splendor uirtutis accedat. quod quia te sentire certo scio, propterea tibi ex animo uereque gratulor accessione dignitatis tuae. et quamquam uariis distinebar curis, feci tamen libenter, ut hanc ad te, indicem laetitiae meae testemque uoluptatis, epistolam mitterem. cui si responderis, iucundum tibi fuisse officium meum intelligam; sin minus, molestum tamen fuisse numquam putabo et occupationibus hoc tuis, illud amori tribuam. Vale. Romae, Kal. Ian. MDLXIV.

LV.

Mario Corrado Neapolim (VII, 7).

Etsi nec magis, quam soleo, uacabam et ad quotidianas occupationes accesserat cura sane grauis ex interitu suscepta domestici hominis ad mea negotia uehementer apti, feci tamen amore impulsus, quo te propter ingenii doctrinaeque praestantiam mirifico sum complexus, ut epistolae tuae responderem. quae mihi uoluptatem eo maiorem attulerat, quod te Neapolim uenisse nec statim discessurum cognoui. saepius enim et commodius ultro citroque cursantibus publicis tabellariis tu de meo, ego de tuo statu audiam. Videre mihi uideor te totum in litteris esse. cupio non inanem esse coniecturam. ut ut est, hoc equidem spectro delector et mirabiles industriae tuae fructus exspecto. Ad Latinam uero linguam quod attinet, mihi crede, sine caussa laboramus. an illa tibi, tot ueterum illustrata monumentis, tot etiam recentiorum probata testimoniis uel nostro uel cuiusquam egere patrocinio uidetur? praesidii satis atque opum in ipsa positum est ad repellendas istorum iniurias, quae tamen in ipsos recidunt. nam ei nemo maledicit, qui se ipsum inscitiae non condemnet. quod si latinae linguae species et pulchritudo, quae uulgi oculis non patet, cognosci ab omnibus posset, amores incredibiles, ut ille ait, excitaret sui. me quidem sic affecit, cum tamen integram eius formam nondum nouerim, extrema quaedam lineamenta uix adspexerim, ut reliquas uoluptates contemnam, cum hac et in hac libenter et iucunde uiuam. qui uero aliter sentiunt et errare nos existimant, sexcentis eos argumentis licet refellas, parum proficies. quod ego cum iam pridem intellexerim, pauca quaedam scripsi ad indicandam sen-

---

26 'excitaret sui' Cic. de off. I, 5.

tentiam meam: neruos esse intendendos, ut in arcem huius caussae inuaderem, non putaui. Stomachari, mi Corrade, iam desinamus in aliena culpa et gratulemur potius ipsi nobis, quod amemus ea, quae praeclara sunt. quae si parantur laboribus maximis, id quod a studio multos deterret, molestum tamen esse non debet, quod gloria compensat immortalis. Fragmenta patris mei quod requiris, apud me nulla sunt: furto ablata, quo ille tempore uita excessit, creditum est. In Sex. Empirico, Palaemone, Aspro et reliquis mea tibi diligentia non deerit. odorabor, sicubi latent; nam in tabernis non exstant. inuentos noli dubitare quin eruam. quam uellem filius adesset, qui Venetias profectus est. praestaret aliquid, opinor. haec enim studia tractat nauiter et Grammaticos, de Orthographia cum scriberet, euoluit omnes. Vale. [Romae] VI. id. Nou. MDLXV.

LVI.

Petro Perpiniano Lugdunum (VII, 9).

Amabam antea non uulgariter amorem in me tuum, cum praesertim suauitates in te essent ingenii multae, rara probitas, doctrina prope singularis: nunc, quam in exhauriendo mandato, quod humanitate tua fretus discedenti tibi dederam, curam et diligentiam adhibuisti, ea me sic affecit, ut omni te animi mei sensu complectar, omnia tibi, quasi iure optimo debita, studia et officia pollicear. quamquam de amico meo duriora significant litterae tuae; quae si uera sunt, amicum iam non appello. excellat licet ingenio, ualeat industria, ex antiquis monumentis praeclara quaeque delibauerit: haec inania sunt, nisi cum optima mente et Christiana pietate iungantur. quod si se

respexerit, si cum ecclesia Catholica, idest cum Deo, redierit in gratiam, tunc ego me illi restituam, tollam hominem et ornabo, quantum in me erit, nullum ei deesse a me officium patiar, quod ad eius dignitatem existimationemque pertineat. Quod scribis Lugduni meliori iam loco religionem esse et in eo te operam strenue nauare, non miror te tui similem esse, praesertim in communi salute, publicam uero rem quotidie melius ire, contra quam et sperabant nefarii homines et agebant, uehementer gaudeo. Rex autem adolescens ac paene puer cum in Christi caussam tanto animo coeperit incumbere, superare uidetur aetatem uirtute et plane is esse, qui maiorum suorum laudibus aliquando respondeat. Posseuino meo cum salutem a me scripseris, hoc addes, memoriam illius nostrae ueteris amicitiae esse periucundam, sed longe carius longeque iucundius, quod omnes ingenii sui uires ad profligandos Apostolicae sedis hostes felicissime profundat. gratulor sane optimo iuueni de ista facultate nec dubito, quin eum semper, quocumque eat, quamcumque rem aggrediatur, ope sua Deus et prosequatur et iuuet. Rouillium, praestanti humanitate uirum, egregie de religione sentientem, si meo nomine salutaueris, gratissimum feceris. Vale. Romae, XIV. Kal. Dec. MDLXV.

Cum epistolam complicarem, uenit ad me, ut solet, officii gratia communis amicus, diligens obseruator doctrinae tuae, Zerbinus Ritius. is rogauit, ut salutem tibi suis uerbis adscriberem. quod facio libenter teque rogo, si tamen hoc patitur humanitas tua, ut ames iuuenem amore tuo dignum.

LVII.

Ioanni Caselio Florentiam (VII, 11).

Quo maior est uirorum praestantium, idest tui similium, copia, eo mihi carior est et esse debet amicitia tua. quam quidem omnibus officiis et studiis, quae a summa proficisci beneuolentia possunt, perpetuo colam. quod utinam per ualetudinem fieri licuisset, ut Romam peruenires! maiorem fructum, quam qui ex litteris percipitur, qui tamen uulgaris non est, ex familiari consuetudine mutuoque sermone uterque nostrum capere potuisset. quod quando non accidit, ego, quod ad me attinet, ut amoris mutui recordatione desiderium meum leniatur, operam dabo. litteris autem ita utar, quantum negotia sinent. quo te contentum esse neque in hoc genere plus exigere, quam praestare possim, tua mihi pollicetur humanitas. De philosophia illustranda praeclare cogitas: uerum praeclara omnia quam difficilia sint, his praesertim temporibus, me non fugit. sunt enim adhuc, qui frugibus inuentis glande uesci malint. quibus ignosci fortasse ex aliqua parte potest, quod eos pudeat. 'Quae pueri didicere, senes perdenda fateri.' sed eorum exemplo decipi adolescentes et inquinata doctrina infici atque corrumpi, hoc quidem graue malum est, malum, inquam, non ferendum. idque tu iure doles et ego sic, ut tibi non concedam. Verum haec Principes uiderint, qui nisi peccarent in delectu, gymnasia florerent optimeque cum litteris et bene litteratis hominibus ageretur. De studiis meis an de negotiis aliquid scribam? negotia nihil ad te scilicet: studia uero propemodum iacent et eo magis, quod ualeo parum commode. Te ualere liberatum iam, ut arbitror, diuturno morbo non mediocriter gaudeo; reuertentem

---

22 'senes perdenda fateri' Hor. epp. I, 2, 85.

in patriam amore prosequor. frui optimis studiis et capere studiorum uberrimos fructus ita cupio, ut si communia bona essent. sic enim decet eos existimare, quorum animos et coniunxit uirtutis amor et retinet. Vale. Romae, VIII. id. Ian. MDLXVI.

LVIII.

Francisco Plantedio Neapolim (VIII, 10).

Vere dicam, Plantedi, magnopere sum delectatus iis laudibus, quibus me, cum de Ludouici Ariosti poemate meam sententiam exquirere cogitasses, ornandum existimasti. neque uero, quod ipsa laude admodum capiar — me enim quotidie magis ab ambitione cum ratio, tum iam aetas amouet — sed quod amoris in me tui, ut ego interpretor, index laudatio est. amari autem ab eo uiro, qui excellat iis artibus, quas in omni aetate diligenter colui, quaeque rebus omnibus antecellunt, cur non gaudeam? Amplector igitur istam uoluntatem et habeo gratiam, non modo, quod eos, qui contra sentiunt, obtrectatores et inuidos uoces. cum quibus tamen, optime Plantedi, pugnare te mea caussa nolim. nam, si laudem quaeram, tu mihi multorum unus instar sis, cuius doctrinam et eloquentiam in scriptis uideo, probitatem et mores de multis audio. sin, quod uera est, ipsa me sola uirtus afficit, cetera parui pendo. sinamus placere sibi unum quemque et in sua sententia triumphare; nos institutum retineamus et in hoc siue, ut isti uolunt, errore siue, ut ego iampridem statui, ueritatis amore ac studio pergamus. Epistola tua et uersus redolere mihi pariter antiquitatem uidentur. quo tibi nomine uehementer gratulor. quibus enim contingat, ut in utraque facultate excellant, paucissimos in omni aetate fuisse non ignoras. De Ariosti poemate hic

quoque sunt, qui disputent in utramque partem, cum alii suum iudicium ad Aristotelis praecepta referant. a quibus quem discedere intelligunt, eum statim e poetarum numero extrahendum censent. alii uero, siue res siue uerba spectentur, Ariosto tantum tribuant, non modo ut eum ad ceteros poetas aggregent, uerum etiam cum illis poetarum principibus conferendum statuant. Mihi non tantum otii suppetit, uel ut hoc totum, quidquid est, considerem, uel ut meam sententiam litteris exponam. Vale. Romae, nonis Sept. MDLXVII.

LIX.

Antonio Furnario Neapolim (VIII, 14).

Utrumque laetor, et fortunis tuis aliquid esse additum et amori erga me plurimum. at multi contra, uel dignitate uel commodis aucti, contemnunt ueteres amicos et officio multam salutem dicunt. quod hic nos experimur quotidie. Quod me annuo munere afficis, agnosco humanitatem tuam. quod uero id te tribuere uirtuti meae dicis, maiore etiam me ornas munere. noli autem arbitrari tam dissipere me, ut disputare tecum uelim et quaerere, uere ne sentias an secus. facio non inuitus, ut iudicium tuum cum mea laude coniunctum tuear ac probem. De anno, quem Scalarem uocant, ne tanti Firmicus et qui cum eo sentiunt, apud te sit, ut animi tranquillitatem amittas. quae enim impendent, si sunt eiusmodi, ut uitari prudentia possint, spero fore, nihil ut te laedant. sin ea fixa sunt, praeripere molestiam et angi frustra certe non oportet. Ego ualetudine utor satis commoda, re familiari, si spectentur labores mei, parum copiosa, si ratio temporum, satis ampla. Vale. Romae, XVI. Kal. Febr. MDLXVIII.

LX.

Iacobo Gorscio Cracouiam (IX, 15).

Particulam litterarum tuarum, in qua scribis ad amicum audisse te exclusum esse Roma Paullum Manutium, haec enim ipsa uerba ponis, legi sine molestia. qui enim rumor nec, si uerus esset, ualde afficeret animum meum subsidia sibi ad omnes casus ex optima conscientia quaerentem, is cum sit falsus et inanis, quid est, cur me tangat? Equidem, si scire uis, qui sit meus hac tota de re sensus, inclusus potius mihi uideor esse quam exclusus. a quo enim die Romam ueni, exeundi facultas, quam saepe ualetudinis, interdum animi etiam caussa optaueram, data numquam est: non quin iis hominibus, qui tanti apud me sunt, ut eorum uoluntatem nutumque quasi legem obseruem, utar facillimis, sed commissum fidei, diligentiae, industriae meae negotium eiusmodi est, ut absente me iacturam patiatur. quod si priuata res ageretur, negligerem fortasse: nunc, ut scire te arbitror, totum hoc munus ad Sedis Apostolicae dignitatem pertinet: pro qua si accideret ut uitam profundere opus esset, praeclare mecum actum putarem. Hoc meum studium placere bonis uiris et ipsi in primis Pio V. Pont. Max. nihil omnino probanti, nisi quod ad summi Dei gloriam communemque salutem referatur, ita laetor, ut ceterorum opiniones et iudicia contemnam. quid enim laborem, quid de me sentiant aut loquantur ii, qui, ne sincere iudicare possint, liuore impediuntur aut maleuolentia, fortasse etiam hominem in saluberrima tollendae prauitatis haereticae cura diu noctuque uersantem, non labori, non ualetudini parcentem parum aequis oculis adspiciunt? sexcentas enim artes, quibus caussa publica laedatur, quotidie ueterator ille magnus, generis humani sempiternus hostis, excogitat. Sed nomini meo, quantum uolunt, isti detrahant; me tamen

ut ab optimorum consiliorum cursu rectissimaque mente deducant, numquam assequentur. Te quidem ista, mi Gorsci, quae aut a leuissimis hominibus temere aut ab improbissimis callide disseminantur, si putem credere, ignorare uidear et prudentiam et bonitatem tuam. Ut ingenue tamen tecum agam, post illa uerba: 'Exclusum esse Roma Paulum Manutium', optaui signum aliquod uel iudicii uel saltem amoris tui. Iudicii, ut hoc adderes: 'Quod ueri simile non uidetur', aut etiam, 'Quod de tali uiro uix crediderim'; amoris, hoc aut simile: 'Quod cupio esse falsum', 'Quod si uerum est, doleo'. Haec tu si sic scripsisses, cum amicitiae nostrae tum constantiae quoque tuae satisfecisses, illa quidem ipsa uerba, quae subacerba nonnullis uideri fortasse possint, condimento quasi aliquo mitigasses. Utraque est à te omissa significatio, et quamquam utraque mihi aeque grata futura esset, quippe qui a bonis eruditisque uiris, idest a tui similibus, non minus probari quam diligi uellem, tamen nescio quomodo fit, ut amori te nihil dedisse aliquanto molestius feram. Qua de re scripsi ad te libere pro mea consuetudine. Neque tamen dubito, quin tu hoc ipsum, quod scripsi, pro tua humanitate aequi bonique facias. Nam de statu rerum mearum mihi ipsi, auctori satis bono, uelim credas, non modo Romae esse me, uerum etiam libenter esse, existimatione integra, re familiari aucta potius quam imminuta. Vale. Romae, VI. Kal. Oct. MDLXIX.

LXI.

Pro Collegio Canonicorum S. Petri S. R. Magdalenae et Leonorae Austriae sororibus Spiram (IX, 17).

Bene agendi ratio maxime discitur eorum exemplo, quorum actiones generis nobilitas aut splendor dignitatis illustrat. propterea neque optabilius quidquam est, quam ut reges principesque reliqui ad ornandam tuendamque Christi ecclesiam, unde uera salus aeternaeque uitae felicitas emanat, suas omnes curas, omnia studia conferant; neque nos ex ulla re maiorem capere laetitiam potuimus, quam ex M. V. propensa ad cultum ac uenerationem Apostolorum uoluntate, antea quidem nobis minime dubio multorum sermone, nunc autem insigni uestis aureae munere declarata. Et quamquam suae pietatis perpetuaeque innocentiae a Deo opt. Max. fructum illum capient, quo nihil potest esse praestantius, tamen nos quoque, ne partes nostrae desiderentur, primum gratias eis de ista liberalitate istaque mente quam licet maximas et agimus et habemus; deinde fore pollicemur, ut exstet sui muneris memoria in annos plurimos inter ornamenta templi, in animis uero nostris numquam exstinguatur. Interim precibus omnibus, ut M. V. perpetuo bene sit, quaeque optant, feliciter prospereque eueniant, a caelesti numine petemus. Romae, XVII. Kal. Ian. MDLXIX.

LXII.

Hieronymo Rubeo Rauennam (IX, 18).

Epistolae tuae, in qua significas Rauennatem historiam a te esse institutam quaerisque a me, quae ad eam pertineant, nonnulla, serius omnino, quam tu exspectabas, respondeo. sed obliuionis aut negligentiae culpa liberabit me diuturnitas morbi, quo primum leuiore commotus, postea grauiter perculsus ad hanc fere diem iacui. alioqui meum in hoc genere studium nec tibi defuisset, nec defuturum umquam uelim existimes. non est enim meum minimeque decere arbitror, cum humaniora semper studia praecipue coluerim, nunc committere, ut humanitatis officia desiderare a me quisquam iure possit. Adde meam erga doctos homines, in quibus excellere te uideo, beneuolentiam; adde non mediocrem obseruantiam erga ciuitatem uestram, quae me olim adolescentem omni liberalitatis genere complexa immemorem aut ingratum in iis praesertim rebus, quae ad eius amplitudinem et gloriam spectare intellexero, profecto numquam sentiet. nec uero dici potest, quam ualde gaudeam, quod eniteris atque elaboras, ut eius antiqua nobilitas, aeternis ingenii tui prodita monumentis ab omni posteritate cognoscatur. nae tu iam nunc ista uoluntate magnam laudem consequeris: quid futurum putas, cum uoluntati res ipsa responderit? honestis consiliis Deus hominesque fauent. honestius autem nihil aut praestantius, quam de patria bene mereri. Vrge igitur et illustra, quantum in te est, gentiles tuos. quod eo tibi magis curae debet esse, quia memoriam publicam uetustate iam deficientem ab interitu uindicare non potes, quin priuatam simul tui nominis memoriam immortalitati commendes. In hoc argumento quid efficere et praestare ipse possim, non equidem intelligo. uerumtamen, si quid possum et si quid assequar aut

legendo aut cogitando, totum illud, quidquid erit et quantumcumque erit, prolixe tibi perliberalique animo et polliceor et defero. Nam illa, quae requiris, eiusmodi sunt, ut uel historiae ueteris testimonio uel ipsa etiam coniectura explicari facile possint. Si enim Caesarem, cum utrique Galliae praeesset, in citeriore conuentuum agendorum caussa saepe hibernasse concedimus, id quod ambigere non licet: quis dubitet, quin Rauennae, quo nullum in ea prouinciae parte nobilius opidum inuenio, conuentum egerit? De foedere ne hoc quidem uideo, cur in dubium uocetur: urbs enim Cisalpinae Galliae Rauenna fuit: at Galli foederati. Locum Ciceronis in oratione pro Balbo suffragante, ut uerba tua declarant, uetere libro ita legerem: 'P. Caesium, uirum bonum, qui uiuit, Rauennatem foederato ex populo'. Vt primum patria, deinde patriae cóndicio ostendatur. nam si legamus: 'Qui uiuit Rauennae foederato ex populo', foederati populi nomen, idest P. Caesii patria, ignorabitur. in quo repugnat Ciceronis consuetudo. neminem enim ciuitate Romana donatum appellat, quin patriam simul nominet. Qu. Iubium seu Qu. Iunium cur non placeat, eadem ratione adducor. nam si hunc Rauennatem esse dicemus: P. Caesio quid fiet? an solus patria carebit? Dixi, quid sentirem, rogatus a te. nec mihi tamen arrogare tantum ausim, ut meum iudicium anteponam tuo. In amore atque etiam in iis officiis, quae amori debentur, me abs te uinci numquam patiar. Vale. Romae, Kal. Febr. MDLXX.

---

13 'Ciceronis' pro Balbo, cap. XXII.

LXIII.

Ioanni Cratoni Viennam (IX, 4).

Et serius fortasse, quam tu exspectabas, et breuius omnino, quam uterque nostrum uellet, ad te scribo. id accidit ualetudinis incommodo, non obliuione tui, ad quem quotidie mentem refero et ea sane uoluptate, qua maior esse nulla possit. quod si corporibus animi mederentur, facile sanaret hunc morbum, quo quinctum iam mensem laboro, iucundissima recordatio humanitatis et beneuolentiae erga me tuae. alleuari tamen uideor, dum de te cogito, tecumque quasi loquor. calores exspecto ualetudini meae semper utiles. nam hiems et ueris inconstantia cum hiemali prope frigore male me uehementer habuit. Si ualebo, exspecta epistolam bene longam, interim ama me, ut facis. Vale Romae Kal. Maii MDLXX.

Laborabam eodem, quo antea, morbo et quidem aliquanto etiam grauius. ita Dei uoluntas fert. nec satis constat inter medicos, qui sit exitus futurus. meus animus, ut ingenue tibi fatear, aberrat a bona spe, quippe aetate ingrauescente, ualetudine perimbecilla, morbo plurimorum mensium. Te rogo pro nostra necessitudine, si quid mihi acciderit humanitus, filium meum Aldum, qui uiuit Venetiis, tuis officiis tuaque humanitate complectaris. Ego si diutius uita fruar, nullum, mihi crede, erga te amicissimi atque obseruantissimi hominis officium praetermittam. Haec quoque aliena manu; nam meae uim penitus ademit morbus. uide, qui sim, mi Crato. Vale et posthac Venetias, quo me breui conferre cogito, ad oratorem uestrum litteras mittes. is mihi eas reddendas curabit. et quamquam fieri potest, ut inde me Patauium ualetudinis curandae gratia conferam, tamen discedens mandabo meis, ut litteras mihi tuas eo mittant.

LXIV.

Ioanni Cratoni Viennam.

Nihil minus placet quam ut nulla proposita re, nulla certa sententia ad te scribam. Occurrit enim mihi tua dignitas, occurrit auctoritas. cogito, quam tibi personam tua uirtus imponat, quae te premant onera, quae negotia distrahant. nimirum cum tuae scientiae tuoque consilio salus et incolumitas commissa sit eius Imperatoris, qui multa regna, multas prouincias imperio, omnes uirtutes animo complectitur, grauissimam Christianae Reipublicae partem sustines. cur igitur ita sim ineptus atque adeo tam aduersus communibus commodis, ut inani te litterarum genere interpellem et, quem salutares illae curae detinent, fixae et locatae pro publica Maiestate tuenda, ad priuatae rei cogitationem ac studium uocem? uerumtamen, quia nec res ipsa, ut ego interpretor, priuatim ad me unum pertinet, sed aliqua ex parte cum publica utilitate coniungitur, et ex tuis litteris uelle te mea caussa multum, ex omnium sermone posse plurimum intelligo: male prorsus mereri uidear de studiis meis ac de me ipso, nisi opportunitatem istam nactus amoris officiique tui agam tecum de statu meo, quantum res ipsa postulat et quantum mihi per humanitatem tuam licet, per quam licere uideo plurimum. Etsi enim iaceo nec leui, sed inueterato iam difficilique morbo, tamen si tu, tantus Vir, ad me erigendum ac recreandum accingeris, si istam scientiam, istam artem adhibes, quae saepe bonis uiris in calamitate opem ac salutem attulit: cur dubitem, quin uoluntatem atque industriam meam felicitas illa, utrique nostrum pariter exoptata consequatur? quod si secus acciderit, suum tamen humanitas tua fructum non amittet. ego enim,

---

2 Primum ea epistula legitur in Morhofii Polyhistore (I, 345), unde Kraussius eam in appendicem editionis suae transtulit.

quod uolueris conatusque sim, in tua laude ponam; quod non perfeceris, ad meam fortasse culpam uel, ut aequius de me ipso sentiam, ad meam certe fortunam transferam. nam et praeclarus artifex, perfectam animo speciem intuens, cum ipse nihil in arte possit, opus tamen imperfectum subiectae materiae uitio relinquit. Nec tamen is ego sum, cuius animum immoderata quaedam opum honorum ue cupiditas angat. habeo magnam gratiam naturae meae, quae me ad hanc insaniam numquam impulit, maiorem etiam iis uiris, quorum praeceptis eruditus ad hanc diem ita uixi itaque posthac, ut spero, uiuam, ut neque summa cupiam neque summa adeptis inuideam. sed quia uirtus, licet a se ipsa pendeat, externa tamen quaedam non recusat, propterea mediocritatem earum rerum, quae fortunae bona quidam uocant, numquam contempsi, elaboraui etiam, ut consequerer. Et plane me consecutum credidi, cum decem abhinc annos Romam ueni. quis enim aliter crederet, cum a Pont. max. uocarer, cum hic uigere dicerentur ac semper uiguissent artes illae, quibus ab ineunte aetate studium meum dederam, cum ipsum denique nomen urbis Romae nihil tenue, nihil angustum, sed ampla et magna polliceri omnia uideretur? hoc loco non faciam, ut aut de meis ipse meritis detraham, quod certe non debeo; non enim commisi, ut meam in re mandata diligentiam, operam, fidem requirere quisquam iure possit; aut alios carpam, quod ab institutis meis longissime distat. Tantum dicam et id ipsum inuitus, nescio quo fato mihi fontes aruisse, qui profluere solebant, benignitatem, quae antea patebat, ita clausam in me esse, non modo ut nihil eiusmodi, in quo uel copia uel splendor inesset, sed ne mediocritas illa quidem, quae repellit incommoda, quae honestatem ex parte saltem aliqua tuetur, mihi adhuc obtigerit. Ac uide

5 ante 'nihil' ⟨non⟩ inserendum uidetur.

tamen aequitatem animi mei. rei domesticae iacturam, quaecumque est, facile fero, libenter dissimulo, do operam, ut obliuiscar; quod antiquam colere frugalitatem, quod illam paruo contentam, omnium laudandarum artium parentem altricemque disciplinam retinere cogar, non irascor. et hanc ipsam fore crederem liberis meis non contemnendam hereditatem. At multa desunt. Ego deesse mihi quidquam nego, abesse multa confiteor, quae tamen ipsa, ni fallor, eiusmodi sunt, ut, si large suppetant, nihilo fiam melior, si absint penitus aut si minima sint, sicuti sunt, nihilo deterior. ego quod ad hanc iacturam attinet, tranquillo satis animo sum: illa me dies noctesque uexat, illa mihi penitus insidet haeretque cura, quod, si quem studia mea fructum ferre, si quid posteris industria mea prodesse poterit, id periisse totum ac perire quotidie magis intelligo. Haec sunt mea detrimenta, optime Crato, atque utinam mea tantum essent. ferrem facilius et quoquo modo quasi fouerem ac mollirem dolores meos. nunc quod publico tamdiu commodo defuerim, quod iacere studia mea per annos decem, quod ingenium languere sim passus, quod denique fundamentis adulescentiae praeclare iactis aetas grauior exspectationi non responderit, id cum recordor, paene totus ipse mihi displiceo et, quamquam culpa uacem, me tamen culpa non libero, sed quasi communis caussae desertorem accuso. una relinquitur in amore tuo consolatio et, si nihil praestares aliud, hoc ipso tamen consolaris, quod aegritudini meae sociam se adiungat aegritudo tua; et, dum tu aeque doles atque ego, id efficis, ut ego non aeque doleam atque soleo. Sed illa pars litterarum tuarum, in qua de Maximiliani Imperatoris admodum propensa ad liberales disciplinas uoluntate significas et addis, opem ab eo si petam, fore, ne frustra petam, ea uero pars animo meo tamquam labanti quiddam, quo consisteret, instillauit. aliis alia cara sunt: non eodem sensu, non eodem omnes ingenio

natura finxit. ego, quarum rerum illecebris capiuntur multi, ita plerasque non amo, ut auerser penitus ac fugiam. litteris pascor, his uoluptatem nullam praefero ac ne confero quidem; harum consuetudine nihil suauius experior, nihil dulcius. et quemadmodum, si solem e mundo Deus auferat, statim in hoc orbis terrae communi domicilio summus horror, summa sequatur incommoditas, sic adempto mihi litterarum usu plena tenebris omnia, plena molestiis, otium iniucundum, negotium perdifficile uidetur. o mi Crato, o mi, inquam, suauissime Crato — iam enim audeo tua fretus facilitate familiariter ac plane blande tecum agere — tu ne is es, qui mihi me ipsum longo interuallo restituas? qui has aliquando tenebras tuo lumine expellas? cuius munere excolantur et rursus florere incipiant studia mea? confer huc, obsecro, opes tuas, quas intelligo esse maximas, ingenii, prudentiae, auctoritatis. digna prorsus tuis officiis, digna tuo patrocinio caussa est. nam, si pro litteris agitur, cur humilis et obscura uideatur? si apud Imperat. sapientissimum, uerae solidaeque gloriae cupidum, cur difficilis aut dubia? Merces autem recte factorum nulla praestantior aut uberior, quam ut usuram uitae quam breuissimam aeterna nominis memoria compenset posterisque tradita litterarum beneficio pulcherrimae uirtutis effigies amorem conciliet, laudandi uoluntatem commoueat, imitandi studium excitet. Praeclarum ducitur quamplurimis imperare mortalibus, gentes nationesque subigere, dare leges, iura praescribere. haec magna uidentur et expetenda in primis. sed haec ipsa saepe motus temporum labefactat, saepe uis hominum conuellit, saepe ad alienam fortuna potestatem transfert. urbes et opida intereunt. uestigia uix apparent: nomina simul interire et cum aspectu memoriam quoque tolli scriptorum uirtus et industria non est passa. decet igitur, cum tu Maximilianum uehementer ames, cum illius gloriae maxime seruias, id

curarê te in primis, quod et maximum est amoris argumentum et ad eius gloriam maxime pertinet. bonis enim uiris, quorum excludi numero me non arbitror, et ita doctrinarum in studio uersantibus, non ut sibi tantum uiuant priuata delectatione contenti, sed ut ingenii monumenta relinquere et posteritati patere suam industriam uelint, quae mihi semper studiorum ratio probata uehementer est, iis tu si otium des et, qua uales apud Imperatorem gratia, conficias, uide, quot bona consequantur. ipsum Imperatorem ornabis immortali gloria, probitati et uirtuti amissam prope dignitatem restitues, frueris tu quoque magna laude. quamquam te quidem hoc spectare non oportet, ad eam laudem, quam adeptus iam es, propemodum accedere nihil potest, sed tamen frueris eorum amore et obseruantia, quos tibi tua merita, tua benignitas adiunxerit. Equidem, si hoc per te assequar, ut ex turbulento negotii genere emersus ad tranquillitatem perueniam et, quod reliquum uitae contigerit, in optato litterarum portu interpellatore nullo, uacuus omni cura degam, nulla res erit tanta, quam non et me tibi debere confitear et libenter tua caussa suscipiam. istam quidem uirtutem, quae me a molestissimis occupationibus ad suauissimam quietem et aptissima naturae meae studia traduxerit, feram in oculis assidue, colam animo semper, fortasse etiam futuris gentibus ignotam esse non sinam. Vale. Romae, id. Iun. MDLXX.

LXV.

Amplissimo Cardinali Ioanni Morono (X, 1).

Turpe est praescribere sapienti, quid agat et quo modo agat; neque ego id umquam commiserim neque id est aut consuetudinis aut naturae meae. uerumtamen excusandus fortasse uidear, si uel a mea maxi-

-ma re, quae nunc agitur, uel ab humanitate tua, quam omnes norunt et praedicant, persuaderi me patiar, ut agam paullo liberius, quod sentio, et, quae cum animo meo sum meditatus, eadem nunc expromam nihil dissimulans, nullo ueritatem artificio tegens. Ego, uir praestantissime, quoad putaui te, uti pollicitus eras, acturum esse cum Pontifice de caussa mea, laetabar uehementer et in hac aduersa ualetudine, quae mihi omnem abstulisse iucunditatem uidebatur, aliqua tamen uoluptate perfruebar. sperabam enim fore, ut auctoritas tua, prudentia, eloquentia, praesertim in optima caussa, facile impetraret ab aequissimo ac benignissimo principe non immoderatum aliquid aut eiusmodi, quod inuidiam excitare posset: non enim ego ita efferri cupiditate soleo. quid igitur? annuam tantum ordinarii stipendii solutionem, ut, quemadmodum Pius Quartus Pontifex, immortali memoria dignus, uenientem ad Vrbem insigni uiatico donauerat, sic Pius Quinctus, omni uirtute ac laude praestans, ab Vrbe discedentem non modo simili, sed maiore etiam munere prosequeretur. in quo ratio uidebatur habenda aetatis meae, habenda ualetudinis, habenda etiam meritorum meorum. quamquam de meritis, ita me Deus amet, loquor non libenter. aduersatur enim modestia mea. sed hoc uerbum expressit ab inuito dolor et eorum temporum memoria, cum in meum nomen inuehebantur multi, aliena conferentes in me, mea mihi detrahentes. Hoc igitur alloquendi Pontificis et cum eo statuendi consilio tuo, quasi rebus meis nulla iam tempestas immineret et quasi iam in portu nauigarem, ita laetabar. Postea uero quam de Mariano Victorio, summae probitatis, rarae doctrinae, excellentis industriae uiro, cognoui acturum te esse de negotio meo in eo conuentu, qui primus habebitur eorum Cardinalium, quibus alendorum in Vrbe studiorum moderandique Gymnasii publice demandata cura est, plane sum admiratus mutationem consilii et, ut ingenue fatear,

quemadmodum natura mea fert nec bonitas tua recusat, ex alta quadam spe turbatus concidit afflictusque iacet animus meus. equidem iis Cardinalibus tantum tribuo, quantum eorum summa uirtus ac dignitas postulat: aeque omnes diligo, aeque colo. sed ad eos certe nullam arbitror negotii mei partem attinere. A Pontifice sum Romam arcessitus, a Pontifice discedendi facultatem peto. si potestas quaeritur: unius est summa; si liberalitas: unus unico uerbo pollicetur et praestat; si dignitas: quae maior est, quam a Pontifice uocatum esse, a Pontifice cum dignitate dimitti? Haec mea consilia sunt. quibus tamen, ut debeo, anteponam tua. satis enim exploratum habeo nihil te cogitasse sine summa ratione, nihil acturum sine summa prudentia. et mihi parum in usu rerum uersato obscura multa sunt. tu tamquam Lynceus uides omnia, probatus per totam aetatem iis actionibus et curis, unde salus publica minime dubio honorum omnium testimonio manauit. Ego me semel, non temere aut repentina quadam uoluntate impulsus, sed explorata ratione certoque iudicio adductus in clientelam tuam tradidi, me liberosque meos tuae potissimum fidei beneuolentiaeque commisi. eadem mihi perpetuo mens, eadem, quoad uiuam, in te uno sita spes erit. tu me ornandum, augendum, tuendum suscepisti; saepe uidi pro uarietate rerum mearum et laetitiam et sollicitudinem tuam. nunc tamquam bonus artifex tuum ut perpolias opus ac perficias oportet. expedi, obsecro, me hac molestia, uel potius hoc me periculo libera. uides enim cum Romano caelo minime iam conuenire mihi posse, adductam esse in extremum fere discrimen salutem meam, autumnum aduentare, cuius uarietatem et inconstantiam, hic si permansero, mea certe nequaquam feret imbecillitas. Venetias multis nominibus cogito idque mihi primum est et praeter cetera optandum. sed si uel per Pontificem, quod non opinor, uel per quotidianam febrem, quod magis metuo, patriam

longo terrarum ac maris interuallo disiunctam, petere non licebit, deponam uoluntatem meam, suscipiam eam, quam necessitas afferet. accedam ad Sabinos colles, quos florere audio regionis amoenitate, caeli temperie, omnium rerum, quas hominum uictus cultusque desiderat, ubertate. Interea me tibi totum salutemque meam quam suppliciter possum commendans ac tradens negotii administrandi rationem singulari tuae sapientiae permitto. Vale. V. Kal. Sept. MDLXX.

LXVI.

Augustino Angelello Fabrianum (IX, 9).

Puto te ab Onuphrio Gilio, tui amantissimo, certiorem non semel esse factum inualetudinis meae, qua nonum iam mensem ita laboro, ut neque ratione uictus neque ullo remedii genere adhuc quidem alleuari potuerim. itaque misere iaceo spe iam destitutus omni, praeter eam, quam in caeli mutatione multi ponendam arbitrantur. quorum ego libenter accedo sententiae. exire propter nimios calores nondum licuit. Sed exeundi consilium ita cepi, ut ad patrios lares et dulcia incunabula remigrem. in quo Pontifex, ut est insigni praeditus humanitate, facilem perbenignumque se praebuit. Si quaeris, laetior an tristior discedam, non facile dixerim. ita multa occurrunt, quae animum ac uoluntatem huc illuc distrahant. propensior tamen in hanc partem sum, ut post annos decem aetate ingrauescente, urgente praesertim difficili morbo, ad patriae complexum recurram, cuius adspectus non dubito, quin mihi amissam molestissimis curis hilaritatem restituat. quam si quis afflictae ualetudini haud paullo magis quam orientalia pharmaca prodesse dixerit, opinor, non errabit. Eamus igitur diis bene iuuantibus

et redeamus aliquando ad ea studia, unde discedere piaculum fuit. quod utinam per ualetudinem liceat; nam per negotia certe licebit. ita res meas constitui; ita, quae dissipata erant in domesticis rationibus, collegi atque contraxi; ita denique, quod accipi quasi dictum arroganter nolim, humana omnia propemodum coepi contemnere. De discessu igitur fixum consilium est; de die nondum statui: sed ut hiemales imbres tempestatesque uitentur ante Kal. Oct. cogitamus. Onuphrius hic remanet, meo sane cum dolore. non solum enim eius opera utebar in studiis, uerum etiam conuictu, sermone, probitate, ingenio ita fruebar, ut hanc iacturam sarcire me posse uix umquam putem. non deerunt omnino, quibus utar, sed praeter operam alia desidero. hoc adolescente nihil aptius ad naturam meam. Te, mi Augustine, quamquam longe disiunctus, tamen prorsus non carebo. quae enim tua est humanitas, qui tuus in me amor, scribes interdum ad me. ego autem, licet otium et litteras, si ualebo, ita amplecti cogitem, ut diuelli me non facile patiar, tamen a te, uiro optimo, nostri, quod facile perspexerim, cupidissimo atque amantissimo, non committam, ut in hoc genere prorsus requiri possit officium meum. Vale. Kal. Sept. MDLXX.

LXVII.

Amplissimo Cardinali Gulielmo Sirletto (X, 2).

Augeri tua uetera erga me merita recentibus officiis nec miror et uehementer gaudeo. quamquam ueteribus contentus esse poteram. erant enim eiusmodi, ut addi nihil posse uideretur. sed tamen, ut uideo, tua nunc quidem ad ea permultum addidit humanitas. et quamquam neque tua, nec collegarum tuorum Mo-

roni et Cornelii de uiatico mihi impetrando summa contentio quidquam profecerit, aeque tamen uobis omnibus debeo, ac si profecisset plurimum. est enim animi liberaliter instituti spectare uoluntatem in primis, minime quidem rem contemnere, potiorem tamen ipsa re uoluntatem ducere. sane optimi Pontificis angustias temporum difficultas excusat: uerumtamen ingrauescenti hominem aetate non solum infirma, sed etiam aegra ualetudine, imparatum a re domestica, cum filia nubili ab urbe Roma, cuius nomen omnia pollicetur, post decem annorum labores suis sumptibus in patriam redire iis fortasse, qui haec solent animaduertere, admirationem aliquam pariet. Et quamquam ea, quae bonis artibus debentur, ratio temporum impediat, ut etiam liberalissimorum Principum uoluntas in optimo bene merendi cursu retardetur, me tamen a litteris nulla res abducet, si modo assequi otium licebit. satis cum uulgo insaniuimus ambigua certis, turbulenta tranquillis, inania solidis praeferentes. aetas et praeteriti iactura temporis admonet, ut resipiscamus quodque reliquum est uitae, uiuamus nobis ipsis, bonis artibus, Deo potissimum. a quo uno, si quid aut ingenii aut doctrinae in nobis est, cum acceperimus, ad eiusdem unius gloriam omnes ingenii doctrinaeque fructus referre in primis aequum est. Vale et tibi persuade neminem esse uel umquam fore, qui tuam praestantem uirtutem aut magis amet aut libentius praedicet. Cardinalem Carafam, iuuenem natum ad immortalem gloriam, exemplum antiquae probitatis, cuius humanitati, qua me semper est complexus, debere me plurimum fateor, nisi graue est, meo nomine salutabis. VII. Kal. Oct. MDLXX [Romae].

LXVIII.

Ioanni Cratoni Viennam (IX, 5).

Nunc demum exoriri mihi uideor et quasi post multam noctem lucem adipisci, reuersus post annos decem in patriam ab urbe Roma, unde me laborem nullum pro publica re communique commodo recusantem grauis morbus ac diuturnus extrusit. Gratulantur amici, amplexantur, laetitiam oculis, uultu, sermone declarant. Hoc mihi iucundissimum est, sed in hac iucunditate angor saepe intimis sensibus, dum recordor, quid iacturae, quamdiu Romae uixi, studia mea fecerint, de quibus, quamquam intelligo non eum esse me, qui magna praestare possim, uerumtamen minima fortasse non erat expectatio. Ire, inquies, non oportuit. Certe, si diuinare licuisset. Verum, si res adhuc integra ponatur, eundi consilium qui reprehendat, fortasse nemo sit. Laborabam domesticis incommodis fratrum meorum culpa nec spes erat emergendi, nisi noua consilia caperentur. Vocabar a Pontifice Max., quo nihil uideri poterat honorificentius: fructum autem quis non expectaret? Cohortabantur amplissimi uiri, quorum erga me singularem beneuolentiam multis rebus antea perspexeram. laeta denique, copiosa, ampla ab omnibus antea promittebantur. quid agerem? credidi et speraui, ut fere sumus omnes homines hoc ingenio, ut ea, quae cupimus, libenter quoque speremus. quamquam hoc leuius, quod spem fefellerit euentus; non tam enim abundare quam non egere gratum est: illud perquam graue, quod perpeti saepe multa sum coactus, indecora prorsus indignaque studiis nostris, aetate nostra, existimatione ante parta. In quo tamen occurrit ea consolatio, quod in uitae durissimo genere multa ferendo, multa simul didici, quae profecto me nunquam neque libri neque ulla doctrina neque dies ipsa docere potuisset. Nunc sin-

gulari diuino munere patriam adepti redibimus ad illa praeclara studia, unde discedere non oportuit, omnique prorsus cura uacui, nullo cuiusquam imperio, exclusis etiam, si licet, interpellatoribus; si non licebit, rure abditi, salubri aliquo et amoeno loco fruemur liberrimo otio, litterulis nostris, operamque dabimus, quantum in nobis erit, ut, quod amissum est antea temporis, non id quidem totum, (qui enim fieri potest?) nonnulla tamen ex parte sarciatur et aliquem adhuc ex industria fructum posteritas capiat. Valetudine modo utamur commoda, qua nunc omnino caremus, erepta laboribus illis animique curis, quae nimium omnino graues, nimium diuturnae fuerunt. Febris discessit post nouem tandem menses, sed inedia, morbo, maerore, ad horribilem prope maciem redacti sumus, quodque miserius etiam est, aluum purgare, nisi accedant extrinsecus adiumenta, numquam licet. Huic ariditati asininum lac prodesse in primis posse neque huic remedio ullum praestare inter omnes medicos conuenit. In cibo sicca omnia damnant, humida probant, praesertim quae facilia sint ad concoquendum. Pono magnam spem in eorum consiliis, maiorem tamen in animi tranquillitate, in adspectu meorum, in caeli patrii salubritate. denique ad omnipotentem Deum omnia refero. quidquid acciderit, eius uoluntati libenter acquiescam. Haec de statu nostro, utinam quotidie laetiora. quod futurum spero et sane tua quoque caussa cupio. Necesse est enim, quem ualde ames, (sic enim mihi iam persuasi) de eo ualde te sollicitum esse. Ad illam superiorem epistolam, Romae scriptam pluribus uerbis, expecto, quid respondeas. Vale. Venetiis. X. Kal. Nou. MDLXX.

LXIX.

Camillo Palaeotto Bononiam (X, 7).

Putasti ne umquam fore, ut ego me Romanarum occupationum e uinculis eximerem? certe factum uides. nec mihi uenit in mentem eius consilii paenitere. quin quotidie magis gratulor, quod illa reliquerim, haec sim adeptus: quod ab omni cura liber otio fruar honestissimo, quod ea nunc denique studia recolere mihi liceat, a quibus disiunctus tot annos uixi, uel potius plane non uixi. quae enim potest esse uita sine litteris? ualeat ambitio, fucatus opum splendor. nihil est, quod cum suauissima librorum consuetudine conferri iure possit. qua mente cum essem, commisi tamen, ut aliter sensisse uidear, cum sententiam numquam mutauerim. nam ad urbem Romam eo quidem consilio sum profectus, domesticis ut rationibus consulerem, simul tamen id spectans, ne delicias meas, optimarum studia litterarum, prorsus desererem. aliter cecidit. quis me accuset inconstantiae? uicit meam uoluntatem potestas eorum, quibus, ut aequum est, non minus libenter quam necessario parui. sed mitto praeterita. quasi enim, ea dum attingo, uulneris obductam prope cicatricem renouo. Hic me propinqui, familiares, noti pariter atque ignoti, redeuntem excepere uoluptate summa. Vrbem priuatis aedificiis elegantiorem et publicis operibus magnificentiorem, quam reliqueram, inueni, praeterea, quamquam ardente bello, florentem, ut in summa pace, rebus omnibus, quae uel ad usum corporis uel ad animi delectationem pertinent. quo dolere interdum ac paene succensere mihi cogor, qui tot bonis, tanta tranquillitate, tanto etiam nobilium uirorum erga me amore tam diu me carere sim passus. lucri tamen id factum est, quod, nisi hinc discessissem diuque abfuissem, haec ipsa profectio, quibus nunc ex interuallo recuperatis iucundis-

sime fruor, numquam omnino, quanti essent, intelligere potuissem. itaque est, cur immortali Deo gratias agam habeamque maximas, quod mihi occasione grauissimi morbi missionis a Pontifice petendae ipsique Pontifici concedendae mentem attulerit. alioqui nec satis decorum putassem nec umquam omnino commisissem, ut ante pactam diem negotium publicum Vrbemque relinquerem. In discessu commoda quaedam sperabantur nec defuit intercedentium dignitas, auctoritas, gratia: ratio temporum est aduersata Pontifice, natura liberalissimo, Turcicum bellum et praesentis futurique sumptus necessitatem excusante. mirum id uideri nonnullis. ego, qui propemodum id, quod accidit, opinione iam praeceperam, non sum commotus ipsoque missionis impetratae munere contentus cetera non dixerim equidem contemnens, sed certe non maximi pendens, otii cupidus nihilo laetior discessi. Nunc habeo cum ualetudine negotium. eius enim morbi, quo me scis, Romae dum essem, nec parum diu nec leuiter laborasse, molestae admodum reliquiae sunt. sed, ut spero, sublatis iam caussis, quae morbum et pepererant et alebant, sedulitate ac fideli meorum cura, adiuuante etiam huius caeli, quod in lucem editus primum hausi, benignitate breui omnino conualescam. Tu interea fac, ne officium desiderem litterarum tuarum. Vale. Venetiis. [MDLXX auctumno.]

LXX.

Francisco Morando Veronam (X, 6).

Quae me caussae minime natura procliuem ad noua consilia nunc impulerint, ut negotium illud Romanum, quod Pius Pont. Max. decem abhinc annis honorifico quingentorum scutatorum stipendio mihi

demandauerat, reiciendum putarim, non facile est scribere. uelim quidem existimes eiusmodi esse, ut aliter statuere meis rationibus alienissimum fuerit. Illud certe fieri non potuit, ut cum illo mihi amplius caelo conueniret. quod experiri constantiae caussa dum cupio, parum abfuit, quin ipsius caeli adspectum usumque perdiderim. Nouum igitur consilium capiendum necessario fuit, si modo mihi carus esse uellem, si salutis, quam omnes antiquissimam habent, rationem ducere, si denique uitae munus a Deo datum eousque tueri et custodire, quoad ille ipse, qui dedit, arbitratu suo repeteret. Veni domum; hic uero me summa quies et domestica commoda maximeque fidelissimae atque amantissimae coniugis cura tanta, quanta potest esse maxima, plane recreauit. Febris abiit, nec tamen ualemus. morbi enim reliquiae supersunt magis prope timendae, quam morbus ipse. qui enim ualere possum, aut etiam quid non timeam, cum attenuatum exsiccatumque corpus naturali munere fungi sua sponte numquam possit? quae res neque molestiae parum habet et, si inueterauerit, periculo non uacat. hoc igitur malum nisi depulero, ualere me non dicam. Studia nostra, remissa occupationibus, retenta tamen animo, attingere nondum audeo, ne stomacho, unde fluxit omne malum, praepropera cupiditas obsit. Sed heus, mi Morande, quando te complectar? quando adspectu sermoneque fruar tuo? tu ne ad nos, an ego ad te prior? Ego scilicet ad te. Ire enim, cum per anni tempus licebit, ad Gauderina balnea decretum est, quae quater antea sumpsi nec umquam sine fructu. nunc eo sumam diligentius, quod maiorem aetas morbique grauitas ac diuturnitas cautionem postulat. inde excurram ad te, ut te uideam, te complectar, tecum sim. De cydonite illa, exquisito artificio confecta, qua carui tot annos, interrupto locorum interuallis officii tui cursu nisi tua sponte ad consuetudinem redieris, appellabo te quasi meo quodam iure, sic tamen, ut

ipsum e tua fluxisse benignitate confitear. Vale, mi suauissime Morande, nosque, ut solebas, ama. Venetiis. [MDLXX, mense Octobri.]

LXXI.

Octauiano Ferrario Mediolanum (X, 11).

Mi Ferrari, si me tantum amas, quantum profecto amas, gratulari te mihi aequum est, quod exoptatae diu patriae compos denique factus post annos decem, tenui fortuna contentus ita uiuo, ut regum opes honoresque contemnam. carebam otio, studiis, rebus multis ad meam naturam aptis, quae mihi nunc omnia Dei benignitas restituit. iisque fruor eo suauius, quo fit usus desiderii diuturnitate iucundior. Si quid praeterea non tam de meo, quam de meorum statu scire uis, ut fere, qui amant, curiosi sunt omnes, haec accipe. uxor et filius in urbe, commoda uterque ualetudine, illa rem domesticam, hic officinam emendandorumque librorum curam administrat egregie. mihi taedio diutinae commorationis urbanae rusticari uehementer placet. quo primum afflictae diuturno morbo ualetudini consulimus et imbecillo corpori uires addimus; deinde quasi quibusdam exsolutus uinculis libere uagatur et uoluptate pascitur animus honestissima. nullis hic angimur curis, nullis implicamur negotiis, licet id, quod antea numquam licuit, prorsus nihil agere, si uolumus et, quod licet, saepe uolumus. nam uehi curru, opida inuisere propinqua, amicorum uillulas obire, conuiuari etiam interdum suauissimisque epulas condire sermonibus hoc ipsum uoco nihil agere. quamquam qui ualetudine parum firma operam dat, ut suauiter, iucunde et honeste simul uiuat, is profecto nihil agere mihi non uidetur. Sed in hoc

tamen uitae genere libros, communes delicias nostras, abiecisse me penitus nolim existimes. nobiscum ubique sunt, comites numquam molesti, loquentes, silentes, cum uolumus, quoad uolumus. et quamquam ueteris morbi reliquiae quaedam supersunt et uires adhuc languent, quiddam tamen aggredi sum ausus. quod si, ut spero, absoluam et si, ut principia dare se uidentur, ita procedet industria uel a te probabitur (a te cum dico, qui subtiliter et sincere iudicant, simul omnes intelligo. tu enim is es, quem nec opinio fallat, nec uoluntas a ueritate detorqueat) uel, quin me putes omnis expertem ingenii nec de mea nec de cuiusquam omnino facultate statuere et existimare quidquam posse, non recuso. Locus ipse me uacuus interpellatoribus et haec uiuendi arbitratu meo rerum omnium dulcissima optata antea potius quam sperata libertas inuitauit, ut ordirer id, quod, nisi sedem hic statuo aut certe, nisi in hoc secessu et in hac paene solitudine, (nam si cum urbe conferatur, quamquam celebre satis opidum, solitudo tamen uideri quaedam possit) maiorem anni partem consumpsero, uereor, ne sero admodum, fortasse etiam pertexere numquam liceat. opus est nec temporis nec laboris exigui. tempus hic, ut uideo, deesse non potest: laborem communis utilitatis gratia numquam adducar ut fugiam: interim tamen, superiore periculo admonitus, operae curaeque plus in ualetudinem, quam in studia conferam. Vale. Ex opido Plebe Sacci, VI. id. Nou. MDLXX.

---

28 'Plebe Sacci' in eo oppidulo uxoris frater Carolus Odonius uillam uidetur habuisse.

LXXII.

Andreae Antonino Ostianum (X, 5).

Nisi me ualde amares, quod multis argumentis intellexi, subirasci te mihi crederem, quod litteris tuis amantissime scriptis nihil umquam responderim. sed si, cur officio defuerim, audias, non dubito, quin omni me prorsus et inhumanitatis et negligentiae suspicione liberandum putes. A quo enim tempore Roma discessisti, nullo difficultatis incommodique genere, nulla fere dixerim miseria negotia nostra caruerunt. ex ea sollicitudine ac laboris assiduitate incidi in morbum, cuius primum ui deterritus, deinde etiam diuturnitate defessus, tentatis prope rebus omnibus, cum neque periculi neque molestiae finem uiderem, cepi consilium in patriam reuertendi extremoque Septembris mense dissuadentibus medicis et amicis aeger in uiam me dedi. Pisaurum usque morbus ingrauescere uisus est. adspectu maris, quasi iam in oculis diu expetita patria esset, propinqui boni spe animus corpori medicinam fecit. febris abiit, antequam Pisauro solueremus. ita Venetias refecti cibo paullo firmiores appulimus. malum illud remanet, ut inueteratis morbis fere contingit, quod aluo sumus ita sicca itaque restricta, nullo prorsus ut cibi genere molliri soluique possit. quod si perpetuum esset, quid miserius? sed ne perpetuum sit, curabimus et cauebimus, quibuscumque rebus poterit, his primum, quae sunt in nobis ipsis, quiete corporis, hilaritate animi, ratione uictus, tum iis etiam, quae a medicorum scientia consilioque proficiscentur. Habes id, quod optasse te arbitror, de statu meo: tu, si placet, uicissim aliquid de tuo. cum enim de te tuisque rationibus certior fieri pro nostra necessitudine maiorem in modum cupio, tum sermone litterarum tuarum purissimo atque elegantissimo mirifice delector. Vale. Venetiis [exeunte anno MDLXX].

LXXIII.

Ioanni Cratoni Viennam.

Binis ad te litteris antea scriptis accepi tuas, datas XVI. Kal. Dec., in quibus uideo sermone a te habito cum praestante uiro, omni non solum doctrinae, sed humanitatis etiam laude ornatissimo, D. Richardo Streinio, quaedam esse iacta otii mei fundamenta, tempus modo exspectari, quo Caesar, sumptibus exhaustus, paratior aliquanto et instructior esse a copiis incipiat. Ego utrumque de isto erga me studio uehementer amo et utrique immortales habeo gratias. uobis enim caussam meam adiuuantibus fore non dubito, quin illa duo, quae antea petii, otium cum dignitate simul impetrem. quae si coniungantur, augebitur gloria Caesaris et fama liberalitatis, mihi uero, quae praeterea desiderem in hac uita, pauca relinquentur. sin disiungi necesse est et alterum tibi uidetur impetrari posse, utrumque non posse, otium dignitati praeferatur. id enim postulant rationes meae. nec de dignitate tamen spem abiiciam et ad aliud tempus, quod opportunius esse uidebitur, petitio reseruabitur. Quod autem condiciones duae proponuntur, una, si uelim in aula, altera si malim domi meae uiuere: optio non difficilis. malo enim Irus esse domi meae, quam Croesi diuitias in aula possidere. ego ne, hac aetate, hac ualetudine, studiis deditus iis, quae otium in primis animique tranquillitatem requirunt, addo etiam hoc, rerum usu, perspecta rerum humanarum inconstantia, fortunae uarietate, breuitate uitae, aulicis me fluctibus ulla spe committerem, aulicas iactationes ulla mercede ferre possem? si uellem, uoluntatem ratio uinceret; sed ne uelim, impetraui iam facile a me ipso. in quo laetor cum sententia

2 Ex appendice editionis Krausianae (4).

mea congruere iudicium tuum. qui enim prudentia ingenioque excellat, qui sit aulae peritior etiam fortasse, quam uellet, qui studeat rebus meis, ab eo dissentire stultum putarem. Quamquam tua quidem praecipua et quasi priuilegio quodam uirtute parto seiuncta a multis condicio est. tibi enim Caesaris amor beneque de bonis uiris merendi facultas non minimum inter aulicas molestias lenimentum ac solatium debet esse. Febricula nondum quidem plane abiit, sed, ut signa sunt, abitura propediem uidetur: reliquias enim uix agnosco. Quae scripsisti de aluo mollienda, quamquam parum necessaria, cum eo morbi genere liberati simus, pergrata tamen sunt, ut a summo amore profecta, haerebuntque in memoria et litteris a me consignata sunt, ut, si res postulet, uti possim. utor etiam interdum, ne rursus crescant, quae parumper humescere coeperunt. Vale. Venetiis, III. non. Dec. MDLXX.

LXXIV.

Camillo Palaeotto Bononiam (X, 8).

Nae ego istam uillulam uehementer amo, quae te fessum urbanis curis leuat reficitque secessu et otio iucundissimo, ubi te colligis animumque transfers ad contemplationem pulcherrimarum rerum. quid agas, quid cures, lex nulla praescribit: scribis aut legis arbitratu tuo, modo aprica deambulatione, modo prospectu collium quandoque aperto puroque caelo gaudes. nimirum hoc est uiuere et ista solitudine, isto uitae genere nihil beatius. cur ego tam longe absum, cur negotiis impedior iis, a quibus quo magis ut disiungar diuellarque operam do, eo me distringunt retinentque magis? mihi crede, si rerum domesticarum soluta ratio esset, aduolarem ad te statim, in ipsam, inquam

uillulam recta me conferrem, ut tua consuetudine, tuis sermonibus, tuo conuictu fruerer, te denique discedente custos remanerem, pomarii praefectus, uillicus plane tuus. quod si accideret, ut istic exsulare perpetuo cogerer, modo te interdum socio, modo cum libellis, praeclare mecum actum putarem, multam salutem urbibus, multam honoribus, in quibus ceteri insaniunt, libenter dicerem. quid enim exspectem amplius? didici iam et magna mercede sum expertus, quam inania sint illa, quae communi deceptus errore praeclara duxeram. magnae urbes magnas occupationes, ne dicam miserias, habent. si quem delectat ambitio, si quis augendae rei familiaris cura tangitur, si sententiam in curia dicere aut a multis in foro salutari inter summa ponit: urbem amet. me quidem posthac aemulum riualemque non habebit umquam. aetas nostra, mi Camille, ad otium uergit. uides, quam fluxa sint omnia, quam facile hunc et illum, florentes opibus, florentes aetate, repentina mors auferat, ut hoc ipsum, quod spatii relinquitur, totum in lucro deputandum esse uideatur. ac fieri quidem potest, ut diu uiuamus. sed, obsecro, quid erit, cur nos diu uixisse laetemur, inter domesticas curas, inter hominum fraudes, infidelitates, insidias, addo etiam publicas calamitates, quibus anguntur uiri boni, quales nos et esse et haberi uolumus? Amplectamur igitur studia nostra, remota ab arbitris loca amoena, salubria quaeramus, uulgi stultitias ineptiasque uitemus, animos excolamus, ut eas fruges ferant, quas nec caeli calamitas corrumpat, nec malus uicinus furto subtrahat, nec belli saeuientis impetus deuastet. In hac sententia te esse et idem probari utrique nostrum litterae tuae non minus eleganter quam prudenter scriptae significant. Sed impedita propter domesticas difficultates mea ratio est, tua longe facilior et expeditior. nihil enim obstat, quo minus id, quod uis, exsequi et praestare possis. ego uoluntate et cogitatione pascor; ab ipsa

e quam longe absim, intelligo. Nec tamen parum rofeci, quod ab urbe Roma discessi. ibi enim ne pes quidem erat otii; hic saepe uaco nec tempus erire sino. sed quod otii perpetuitate careo identiem interpellantibus aut hominibus aut negotiis et uod angusta nimis utor domestica re, ideo fit, ut coari et instituere multa possim, absoluere et perficere, raesertim quod exspectationi respondeat, nihil fere ossim. Habenda est etiam ratio ualetudinis, quam reor ne in longum tempus afflixerit Romanum caem dicam, an negotium? an utrumque potius, quod ı esse reor. Sed si ualebo, si rem familiarem ita nstituam, ut absentis animum nihil pungat, imitar, quantum in me erit, consuetudinem tuam exrtemque culpae uoluptatem quaeram et, quod te oque facturum esse uel potius iam facere coepisse leo, in litteris, in colenda pietate, in summi Dei nmique boni amore et cupiditate conquiescam. Vale, netiis. Idib. Dec. MDLXX.

LXXV.

Antonio Rolando Pataujum (X, 15).

Adhuc languebam ex uetere morbo et filio non iter aegrotante eram sane perturbatior. committere nen nolui, ut epistolae tuae, insigni praesertim merica magniloquentia et beneuolentiae notis erga tuae, nihil omnino responderem. Quod petis, ut tionem tuam corrigam: primum id quidem necesse n est, cum scriptor sis luculentus ingenioque exlas; deinde uero tantum ab re mea mihi otii non , aliena ut possim legere. aut enim non uaco, aut, quid temporis conceditur, ad ea, quae inchoata ruque iampridem habeo, absoluenda et perpolienda

totum confero. quare a te peto, ut habeas rationem et ualetudinis et occupationis meae. Ego, postea quam in patriam reuerti negotiorum magnitudine defatigatus, aetate etiam admonitus, et Venusini poetae uersu, Solue senescentem mature sanus equum, mihi et Musis dumtaxat uiuere constitui. nullas suscipio curas, nisi quas rerum domesticarum necessitas imponit. nouas amicitias non expecto, ueteribus colendis operam non do, cum uxore liberisque suauissimam uitam duco. hic enim dies, ut ille ait, alios mores, aliam uitam postulat. amicorum copia quid praeter molestiam habeat, non uideo. si quis aliter sentit, arbitratu ipse suo uiuat: ego malo mihi sapere quam aliis. De uxore a te ducta, de susceptis liberis ualde tibi gratulor. nam etsi onus alendae familiae durissimis temporibus, magna rerum omnium caritate, perquam graue esse non ignoro, te tamen, uirum bonum, peritum optimarum artium, tua uirtus ex omnibus incommodis ac difficultatibus eripiet, aderitque Deus, cuius eximia benignitas praeclaris conatibus et optimis studiis deesse numquam solet. Vale. Venetiis, X. Kal. Ian. MDLXX.

LXXVI.

Camillo Palaeotto Bononiam (XI, 3).

Valde accidit non sane contra uoluntatem, sed certe praeter opinionem meam, ut Mediolani consisterem. sic sunt humana. consilia nostra plerumque ratio, casus interdum et fortuna moderatur. Ego Genuam ea potissimum caussa petebam, ut uillulis pulcherrimis, iucundo placidi maris adspectu et, quod in primis ualetudo mea requirit, uerno caelo hieme

---

5 'solue senescentem' Hor. ep. I, 1, 8.

summa fruerer. nam Venetiis hieme superiore, cum et cubiculo clauderer angusto et camino assidue uterer luculento, parum tamen abfuit, quin me uis frigoris absumpserit. Scis, quae mea tenuitas, quae sit imbecillitas. nec aetatem, ut arbitror, ignoras. quotidie labuntur uires et eo magis, quod ea, quae mihi ab adolescentia rerum omnium antiquissima fuerunt et a quibus ne nunc quidem aetate ingrauescenti diuelli possum, studia calorem illum, quo alimur, exhauriunt. Haec de frigore: audi nunc, quae supersunt incommoda. Exercitationibus dum utor, confirmari me sentio. At iis uti Venetiis, praesertim sub dio, uel ob angustias uiarum uel ob infinitam prope ciuium peregrinorumque frequentiam non licet. huc illuc impellimur, saepius alieno motu quam nostro mouemur, uix ut interdum, ac ne uix quidem, si lubrica uia est, consistendi facultas detur. De uinis quid loquar? diuturna me consuetudo Romanis, omnium facile primis, assuefecerat. similia non quaerebam, sed quae prorsus dissimilia non essent: periit omnis industria. Carnis mira paenuria: uitulinam quidem, quae differat a bubula, reperire felicitatis est. Excellunt uiri nobiles benignitate, uirtute, sapientia; neque ego eorum amicitia et consuetudine exclusus umquam sum, appetitus etiam a multis. quod in iis rebus numero, quarum memoria non mediocriter oblector. sed nescio quo modo fit, aetatis fortasse uitio, ut quaedam res, quibus olim pascebar, quotidie magis ex animo dilabantur. mihi uni, mi Camille, iam cupio uiuere, dum uiuo, sic tamen, ut me ceteris etiam uixisse aliquando intelligatur. Habes, cur Venetiis non sim: quo spectem et ubi esse uelim ac reliquae uitae domicilium collocare, satis nondum constat. amoenitatem et salubritatem sequor. utraque Genuae est, utraque, ut audio, Regii, quo peramanter inuitor, et suburbanum mihi suum, magnifice exstructum, eleganter ornatum, uir primarius, integritate doctrinaque excellens, Horatius Mala-

gutius, summi Pontificis cubicularius, semel et iterum detulit. mihi tamen ocellus Italiae, Benacensis ora, Asulano meo, unde multa suppetent, satis propinqua, uehementer arridet. eo me conuertit animus, eo referunt pedes, ibi denique cum rusticis malim, rustico paene more, quam alibi cum perurbanis in magna non modo lautitia, uerum etiam copia uitam agere. Interea sum in hac urbe et, ut uideo, diutius ero, quam putabam, non tam, quia propter anni tempus discedere uix iam licet, cum et imbres assidui uias corruperint et ego is sim, qui uel leuissimis frangar incommodis, quam quia duorum uirorum omni laude ac uirtute circumfluentium, Bartholomaei Caprae, hospitis mei, et Octauiani Ferrarii, ueterrima mihi necessitudine coniunctissimi, singulari doctrina, humanitate, beneuolentia perfruor. otii quidem habeo, quod tu uix credas, in urbe amplissima omniumque celeberrima non minus, quam optabam, plus profecto, quam sperare ausus essem. itaque studia calent. quod cum dico, simul illud dico, Mediolani me perlibenter esse. nam cum studiis et litteris nullum uitae genus, ne si Croesi quidem addantur diuitiae, permutauerim. De ualetudine si quaeris: ea sum, qua soleo, idest non admodum firma. me tamen cum domestica quiete, tum definita quadam uictus ratione, aliqua etiam animi tranquillitate tueor atque sustento. Vale. Mediolani. Kalendis Nou. MDLXXI.

LXXVII.

Ioanni Cratoni Viennam (XI, 9).

Qua primum hora in patriam reuerti, unde menses aliquot abfueram et ualetudinis et otii caussa, quaesiui statim de filio: Ecquid Crato noster. Valet, inquit,

et nos amat; deinde, quid tu ad illum de me, quam saepe, quam amanter, quid ille ad te scripsisset, pluribus uerbis exposuit. uix credas, et cum salua hic omnia compererim et eam nurum, quam uolebam, aetate, moribus, forma, quantus tamen ex litterarum tuarum humanitate laetitiae cumulus accesserit. quamquam, cum mihi iam antea et natura et consuetudo tua nota sit, peccare mihi uidear et graui admodum scelere obstringi, si, quod ab utraque abhorreat et quod utraque indignum sit, suspicari me umquam patiar. Nec uero me quidem id, quod mihi boni contigit, agnoscere, languere autem in gratia referenda uelim existimes. refero enim, mi Crato, referamque, dum uiuam. at quibus rebus? iis, quibus te contentum fore scio, memoria, amore, obseruantia. nam reliqua neque tua dignitas neque fortuna exspectat. neque is ego sum, qui possim paria paribus, aut qui officium potius in compensanda re, quam in emetienda uoluntate positum putem. in quo illam capio uoluptatem, quod filius meus, quem studiis mihi et institutis persimilem esse, fortuna uelim paullo meliore, te in oculis fert, laudare non desinit, sicut alterum parentem obseruat et colit. is excusat silentium suum; habet enim, non modo quod assidue agat, uerum etiam quod libenter agat, in nouis nuptiis. quae si quid parient, uel dicam etiam ominis caussa, quod parient, id tibi, aut qui tuo nomine agat, sacro lauacro suscipiendum defertur, ut amicitia nostra tuis instituta non uulgaribus officiis, nostris ad hanc diem studiis egregie culta, religionem quandam assequatur, quae labem ab ea culpamque prorsus omnem perpetuo remoueat. Mediolani abditus in litteras uixi. si quaeris, quo studiorum genere: explanandis Ciceronis orationibus, quod mihi propositum fuit ante multos annos. nunc dandi sunt dies tum amicis tum etiam

---

4 'nurum'. Franciscam, Bartholomaei Iuntae filiam.

negotiis. Commentarios in epistolas, quae familiares dicuntur, conuicio iam prope efflagitatos, debere studiosis diutius uix possum. id nunc cogito, ad quem mittantur. an ad eum, qui me ornauit ea dignitate, cum qua nullas opes confero? tu statue: ad te enim refero, cui uel prudentia uel amore erga nos quem anteponam, habeo neminem. Vale. Venetiis, XI. Kal. Maii MDLXXII.

LXXVIII.

Camillo Palaeotto Bononiam (XI, 6).

Agri uestri, si quidem, ut scribis, imbribus irrigari coepti sunt, meliore, quam nostri, qui adhuc ualde sitiunt, caeli munere fruuntur. de uindemia tamen, quod ad bonitatem firmitatemque uinorum attinet, bene speratur. de copia fore certum est, ut non abundemus. Ego non expectatis imbribus iam sarcinulas collegeram, ut in uiam me darem; nihil enim erat potius, quam ut domum redirem eoque itinere te uiderem et uillulam tuam, utroque autem fruerer, quamdiu per anni tempus liceret. sed uicit consilium meum Cardinalium uoluntas. quorum opera est effectum, ut Gregorius XIII. Pont. Max., qui tamen sua sponte liberales disciplinas miro quodam studio amplectitur, fouet, alit, honorifico me stipendio retinendum putauerit. Hic igitur cogimur consistere, libenter, ut Romae, in summa celebritate et amicorum copia, inuiti, ut a te disiuncti, cuius consuetudine non semel aut iterum, sed perpetuo aestiuis mensibus, amoena regione, iucundo otio, cum communibus musis frui cogitabamus. hoc tamen quidquid est incommodi, non illud quidem penitus, sed aliqua saltem ex parte,

quantum scilicet per utriusque occupationes licebit, litterarum commodo sarcietur. Vale. Romae, VI. id. Sept. MDLXXII.

LXXIX.

Camillo Palaeotto Bononiam (XII, 1).

Ain tu? litteras ego sine nomine, praesertim ad te, quem tanti facio, quanti fortasse neminem? equidem erratum meum uix agnosco. itaque peto a te, ut mihi litteras illas remittas. quo simul intelligam, de emblemate quid scripserim; si modo is ego sum, qui aliquid scripserim. ualde enim in hoc quoque perturbor. Quod ais me rursus ad bellum, ominare, quaeso, melius. ego enim quietem, ego otium, ego studia mea et urbi et urbanis rebus antepono. sed si et urbe et simul studiis meis frui licet, quis erit tam iniquus rerum aestimator, qui mihi non concedat? otii quidem adhuc, quantum optaui semper, tantum conceditur; negotium sponte nullum suscipiam. imponetur: feram, quoad licebit, idest quoad instituti mei ratio permittet. nihil enim malo, quam posteris prodesse. in eo mihi diuitiae, in eo sunt omnia. quod si non assequor id, quod propositum est, me tamen ipsum conari et uelle delectat. utinam consuetudine tua ne carerem; nam ea si accederet, in caelo essem. uoluntas utrique nostrum eadem fuit, facultas defuit. Vale. Romae, XIII. Kal. Oct. MDLXXII.

LXXX.

Antonio Furnario Neapolim (XI, 15).

Quod felix faustumque sit, iterum Romae sum. id mihi, non dicam inuito (quis enim inuitus, honesta praesertim condicione Romae sit?), sed certe nec opinanti contigisse uelim credas. nam, cum post obitum Pii V., Pont. Max. quo sedente nescio quo meo fato secundis uti uentis haud satis mihi umquam licuit, eo consilio ad urbem uenissem, ut nubilem iam filiam, quam hic biennio ante aeger discedens in coenobio celeberrimo sacris commendatam uirginibus reliqueram, in patriam ad nuptias reducerem, exceptus incredibili omnium laetitia, precibus amicorum, suasu Cardinalium, iussu Gregorii XIII., Pont. Max., cuius ex mente propter sanctitatem ac sapientiam honesta omnia, utilia, salutaria proficiscuntur, sedem hic statuere et redeundi consilium abiicere sum coactus. quod tibi, mei amantissimo, qui me olim discedente doluisti, significandum putaui. uidere enim mihi uideor tuum uultum, cum haec leges; utinam tu quoque uideres animum meum, dum haec scribo. tua laetitia mihi laetitiam affert; in amore pari, qui tuus est sensus, idem et est et esse debet meus. mutuae uoluntatis fructus non apparet: quid tum? non ii sumus, qui amicitiam utilitate metiamur. iam pridem erudiui animum et docui uulgaria quaedam contemnere, in bonis doctisque uiris fortunam non quaerere, sola uirtute, quae nulla re indiget, nullam extra se appetit, contentum esse. in quo tuos sensus meis cum sensibus congruere neque dubito et uehementer gaudeo. Vale. Romae, XII. Kal. Oct. MDLXXII.

LXXXI.

Ad Illust. atque Exc. Iacobum Boncompagnum in orationis Ciceronis pro Archia poeta commentarium (Praef. XXIX).

Cum mihi tuae primum uirtutis ac dignitatis, deinde eius, qua me es complexus, beneuolentiae in mentem uenit (uenit autem saepissime), tibi quidem animo ac mente pro meo erga te singulari studio uehementer gratulor. ego autem, ut eius felicitatis, quae in hominem cadere possit, haud minimam partem assecutus, laetitia fruor tanta, quantam animus meus capere maximam potest. rursus cum recordor omnibus ad te quotidie honoris caussa confluentibus, quorum ego in te colendo atque obseruando nemini concedo, me unum tribus fere mensibus ad te non uenisse, quamquam intermissi caussas officii, ut opinor, habeo satis iustas, uel calores perpetuos, quibus maiores non meminimus, uel aetatem imbecillitatemque meam, quarum altera quietem postulat, altera non modo postulat, uerum etiam flagitat: peccasse tamen mihi uideor et, quasi excusationem accusatio uincat, ita sensibus angor intimis et in grauissimo dolore uersor. Atque haec quidem aliquanto etiam acerbior cogitatio esset, nisi perspecta mihi et cognita naturae tuae facilitas et singularis humanitas certam plane spem afferret nihil mihi abesse apud te, nihil detrahere prorsus aut de amore tuo aut de iudicio absentiam meam. quod quidem abs te, artium optimarum a puero studiosissimo, eo facilius debeo impetrare, quia non ego, ut alii, feriatus aestu maximo sum, non me languori, non inertiae aut desidiae tradidi nec rursus quibusdam uoluptatibus, quae cum ab aetate mea, tum etiam a uoluntate abhorrent, sed ad explanandas Ciceronis orationes ex instituto meo totus incubui. quid autem his tribus mensibus, quibus

uacationem sibi quandam a negotiis plerique sumunt, ego in hoc negotii genere omnium, ut arbitror, nobilissimo praestiterim, cum cuperem te intellegere, ut quasi rationem otii mei redderem, feci ut ad te mitterem. non quas, a quo die ad te ueni, orationes explicaui, ne molesta fortasse in magnis occupationibus aut parum iucunda tibi copia esset (decem enim illae omnino sunt), sed unam tantum eamque satis breuem, pro Archia poeta, sane luculentam et ornatam. in qua studia illa, quae ab humanitate nomen acceperunt, quibus uterque nostrum mirifice delectatur, in caelum laudibus extolluntur. Equidem spero fore, ut, quemadmodum ego, cum interpretabar, uoluptate me perfundi maxima sentiebam, sic tu, cum et ipsam orationem et meam simul interpretationem legas (simul enim utramque mitto), non minorem animo uoluptatem capias. quod si ita erit, uberrimum tulisse me fructum industriae meae putabo et quod operis superest, ad id eo fiam alacrior, quo tibi magis multas uirtutes cum litterarum gloria coniungenti quam ceteris haec studia colentibus placere et probari mea scripta uelim. Opto, ut ualeas meque, ut facis, perpetuo diligas. Ex aedibus, pridie Kal. Oct. MDLXXII.

LXXXII.

Ioanni Cratoni Viennam (XII, 10).

Epistolam tuam a te datam XVII. Kal. Nou. accepi VII. Kal. Dec., eo sane gratiorem, quo minus hoc tempore exspectatam. noui enim, quam uacuus numquam sis, non tam a tuo munere, quam ab amicorum negotiis, quae ita suscipis, ut sustineas, donec ad exitum perferantur. scripsisti igitur amore impulsus et omnia uicit humanitas tua. quo tibi nomine

debere me multum dicerem, nisi tantum iam deberem, quantum persoluere uix possim. Romam qua caussa adductus uenerim, scripsit, opinor, ad te filius; quae retinuerit, a me cognosce. Atque hoc primum, quod tibi pro tua in me singulari beneuolentia maxime uoluptati fore non dubito: incredibili sum exceptus hominum laetitia. Pontifex ipse, praeclare in optimas artes animatus, cognito aduentu meo laeti animi signa ostendit negotiumque Cardinalibus dedit, ut ita mecum de mansione agerent, ne discedere paterentur. noli quaerere, quam sim laetatus. non quo libenter abessem a meis, quibus mihi dulcius in uita nihil est, aut quo penderem ab aulicis honoribus, qui ne iuuenem quidem mouerant umquam, ne nunc senem, sed ut homines, obliti superiorum temporum, eundem in urbe Roma, qui semper fuit, uirtuti locum esse perspicerent. parui rogantibus, cognita praesertim Pontificis uoluntate. stipendium satis per se tenue, in quo meam facilitatem nonnulli reprehendunt, cum libertate et otio maximum uidetur. nihil oneris imponitur; litteris, ut in solitudine, frui licet et, ut spero, licebit. unum aut alterum Cardinalem bis in mense, ter ue summum, uel quia me diligunt, uel quia uirtute excellunt, salutare consueui. Caelum idem experior, quod antea, humidum, graue, inaequale: nec tamen ualeo deterius, quam in patria, uel quia, quod te uirum doctissimum non fugit, hilaritas animi corpori medicinam facit, uel quia me domesticae tricae sollicitum non habent, uel fortasse etiam propter uina, quae sunt hic ex omni genere optima. pituita carere iam non possum, sexagenarius laborem scribendi aut legendi numquam intermittens. Vereor, si longior epistola sit, ne tibi molestiam afferam; nisi si haec ipsa molestia tibi maior est, quod excusatione tecum

1 'tantum deberem'. Cratonis beneficio Manutio contigerat, ut ab imperatore Maximiliano II. nobilitate donaretur.

utar. A te igitur peto, ut quemcumque Caesar o torem in demortui locum Romam mittet, ei me meliore nota commendes. dicerem significationem am ris in me tui commendationem fore omnium grauiss mam, cum nemo sit, quin facile diligat, quem diligi te sentiat. sed ego ne tibi praescribam, homini omnium quos in uita nouerim, humanissimo et prudentissimo Vale. Romae, Kal. Dec. MDLXXII.

LXXXIII.

Caesari Orlando (XII, 13).

Nihil abest a natura mea longius, quam uel assentari, quod sui commodi spe plerique faciunt, uel inanibus uerbis tempus conterere. quod eius est, qui minime sua bona nouit quique se cum sibi et suis, tum etiam ciuibus uniuersis et patriae natum obliuiscitur. Ego, mi Caesar, cum utrumque nostrum aequa lance perpendo, cur ipse tibi assenter, caussam uideo esse nullam. tu enim tua uirtute, ego mea fortuna contentus uiuo. si quis didicit esse blandus, ut alterum capiat, eius artificio locus apud te non est. ego autem, si assentatio mercedem spectat aut emolumentum aliquod aucupatur, nihil habeo, quod a te exspectem aut quod petam praestantius beneuolentia tua. at eam adeptus iam sum adeptamque tanti facio, ut nihil anteponam. amari enim ab homine excellentis ingenii, summae probitatis, cogitationes curasque suas omnes ad unam uirtutem referente, iurisconsulto denique eruditissimo, non ex recenti barbarie, sed ad illam doctrinae ueteris elegantiam exculto, amari, inquam, abs te, tali uiro, et frui beneuolentia tua ipsum per se optabile est. cum uero ab eadem beneuolentia multa mihi quotidie commoda nascantur, quid est,

quod me tibi debere non confitear? mitto reliqua: illud omnium maximum nec meminisse nec praedicare umquam desinam, quod mihi non solum bibliotheca tua, omni prope referta librorum genere, sed ea, qua excellis, doctrina ita patet, ut, si quem ex his commentariis, quas in Ciceronis orationes diu noctuque texo, posteritas fructum colliget, eum tibi ex aliqua parte acceptum referre debeat. Sunt enim quaedam amissis duodecim tabulis, omni paene formularum, responsorum, edictorum exstincta memoria, ita complicata et inuoluta, ut, nisi singularis iurisconsulti scientia, usu confirmata, aucta ingenio, adhibeatur, explicari et euolui uix aut ne uix quidem interdum possint. Agerem tibi gratias de isto munere, si uel tua pateretur humanitas, uel ego is essem, qui bene de me merenti uerbis potius quam re satisfactum esse uellem. memoria tuebor officia tua, donec illucescat ille dies, ut referre gratiam liceat. quod si assequar, non dubito, quin tu, quem tibi hominem adiunxeris, cum intelligas, tua praestanti liberalitate beneque agendi consuetudine uehementer laetere. Haec interim, cum de officio meo cogitarem, facere non potui, quin ad te scriberem. quamquam et a studiis meis inuitus auellerer et, ut uere dicam, non me tuus tantum, sed meus etiam pudor ab hoc argumenti genere, quod totum ad tuam laudem pertinet, haud mediocriter auocaret. Vale. ex aedibus. Prid. non. Dec. MDLXXII.

LXXXIV.

Camillo Palaeotto Bononiam (XII, 4).

Quae mihi res maximae curae fuit et in qua meas omnes cogitationes omniaque studia fixeram et locaram, ea cum ex animi sententia, diuino fauente

numine, successerit, litteris tibi, mei amantissimo, significandum putaui. Vnicam filiam, inter sacras uirgines educatam, non hebetem ingenio nec paucis, nisi me fallit amor, uirtutibus instructam, iuueni optimo satis honesti loci, haud postremi ordinis in iure ciuili, addo etiam, quod hodie potissimum requiritur, a fortunae bonis non imparato, meis reclamantibus, de sententia tamen fidelium amicorum despondi. hoc tu meum consilium pro uetere nostra necessitudine tuaque aequitate non dubito quin et probes et omnibus optimis prosequare. equidem onus Aetna grauius deposuisse mihi uideor speroque fore, ut, quod reliquum est uitae, uacuo curis animo tranquille degam. Quaeris, ubi? Romae, si per ualetudinem licebit. nam hieme fere tota mecum actum est non optime, communi tamen pituitae morbo, quo robustiores etiam laborarunt, alii sine periculo, alii sic, ut decesserint. in quibus fuit is, cuius obitu dolendum est maxime, poetica laude insignis Amaltheus. mihi eadem, quae antea, uictus ratio medicina fuit. necdum audio institutum mutare propter anni tempus inaequale. in publicum, nisi necessaria re coactus, numquam prodeo, domesticis finibus me teneo et cum libellis, idest cum amoribus et deliciis meis, iucundissime uiuo. Orationem pro Archia cum meo commentariolo scire cupio an acceperis. absolui iam in reliquas omnes duabus exceptis, pro Ligario et Deiotaro, quam bene, alii iudicabunt, magno certe cum labore, opera numquam nisi per morbum intermissa. Quiddam etiam explanare sum aggressus, et, ut se principia dederunt, uideor aliquid praestare posse. assentor mihi fortasse, nam sua quisque amat; uerumtamen hic omnes, praesertim qui litteris excellere putantur, initium, quod

---

2 'Vnicam filiam' Mariam. — 4 'iuueni optimo' Alexandro Honorio, nobili loco orto. — 27 'pro Ligario et Deiotaro' quas ad orationes commentarium ut scriberet, ei non contigit.

ad te mitto, ualde probant. Cardinalem, fratrem tuum, ueteris exemplum innocentiae, columen sanctae sedis Apostolicae, salutari a te meis uerbis, magis opere cupio.

Valde. Romae XII. Kal. Mart. MDLXXIII.

LXXXV.

Io. Sario Zamoscio (XII, 11).

Multorum mensium aduersa ualetudine uexatus omni prorsus carebam legendi scribendique facultate. quod eo mihi in primis nomine permolestum est, quia multis ad me scribentibus respondere sine ualetudinis incommodo uix possum. nam etsi depulsa est uis morbi, pristinas tamen uires desidero et capitis infirmitas non modo litterarum, sed prope sermonis usum adimit quotidiani. Dabis igitur, mi Zamosci, ueniam homini tui amantissimo, qui te pro ingenii doctrinaeque praestantia summis ornare laudibus numquam desinit, si ad tuam elegantissimam epistolam hoc unum rescribo, rescribere me tibi pluribus uerbis hoc quidem tempore non licere. nam, cum licebit, persuade tibi non esse me commissurum, ut debitum humanitati amicitiaeque nostrae officium non persoluam. interim haec pauca, ut recenti morbo, uacillantibus litterulis. Vale. Romae, non. Dec. MDLXXIII.

LXXXVI.

Camillo Palaeotto Bononiam (XII, 6).

Post grauem trium fere mensium morbum nunc denique incipit esse mihi paullo commodius. nec tamen adhuc uel eo, quo solebam, stomacho uel ita firmo utor capite, ut cogitandi aut etiam legendi laborem sustineam. gradum uero facere sine sensu doloris aperto nuper educendis humoribus laeuo crure neque dum possum et conari supra, quam uires patiantur, non audeo. quae quoniam fieri quotidie mitiora sentio, aliquam in dolore uoluptatem capio, cum praesertim prope anniuersarius hostis ualetudinis meae iam abierit autumnus. Oleis tuis, quibus me, quocumque loco sim, carere non pateris, in quo tuam beneuolentiam agnosco, fruar cum filia et genero. simul enim uiuimus et plane uiuimus. ego autem parce, quia nondum firmus offensiones etiam minimas extimesco, illi comedent liberius, quia recte ualent nec in cibis plus minus ue diiudicant. De me ipso dixi: de rebus meis quod ⟨ad⟩ te scriberem, noui nihil erat. Omnia fere sunt eadem, quae antea, hilara satis et prospera. ampla non dixerim, ne mentiar. quamquam hoc uulgi more loquor. nam si ampla sunt ea, quibus maiora non expetimus, amplissimis opibus fruor. nihil enim deest, quod natura desideret; quod autem natura non desiderat, abesse facile patior. Vale. Romae id. Dec. MDLXXIII.

---

20 ⟨ad⟩ deest in editione anni 1580.

Index

eorum, ad quos epistulae datae sunt.

Index nominum*) ac rerum memorabilium.

*) Nomina eorum, qui in priore indice enumerantur, hoc loco non recepi, nisi in epistulis ad alios datis occurrunt.

SCRIBONII LARGI

CONPOSITIONES.

EDIDIT

GEORGIUS HELMREICH.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXVII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Scribonius Largus post expeditionem a Claudio Caesare in Britannos susceptam, cui se interfuisse ipse memoriae prodidit,[1] paulo ante[2] Messalinae[3] Claudii uxoris caedem, cum C. Iulius Callistus libertus ille principis potentissimus medicamentorum conpositiones quasdam ab eo petivisset, libellum conscripsit, in quem non solum quas ille desideraverat, verum etiam si quas alias in praesentia habuit expertas contulit[4] eique misit, cuius gratia et auctoritate omni tempore, praecipue vero illis ipsis diebus multum se adiutum esse grato animo fatetur.[5] Illarum conpositionum ipse conposuit plurimas,[6] paucas ab amicis, quibus aeque ac sibi credebat, acceptas adiecit, alias[7] ab Apuleio Celso Centuripis ex Siciliae urbe orto et Tryphone[8] praeceptoribus traditas habuit, alias e libris medicorum auctoritate praecellentium aut suae aut superioris

1) c. CLXIII: *cum Britanniam peteremus cum deo nostro Caesare.*

2) hac de re conferas velim *Buechelerum* copiose et subtiliter disputantem in musei rhen. vol. XXXVII, p. 321 sq.

3) cuius vivae mentionem inicit c. LX: *nam Messalina dei nostri Caesaris hoc* (dentifricio) *utitur.*

4) epist. ad Call. p. 5 huius edit.

5) l. l.

6) c. CCLXXI.

7) c. LXXXXIIII. CLXXI. CLXXV. CCI. CCIII. CCV. CCX. CCXXXI. CCXL.

8) hunc et Euelpistum et Megetem in celeberrimorum aetatis suae chirurgorum numerum Celsus refert et quibusdam in melius mutatis aliquantum ei parti medicinae, quae manu curet, adiecisse dicit p. 263 D.

aetatis, Andronis (c. LXIII), Aristi chirurgi (c. CCVIIII), Iulii Bassi[1]) (c. CXXI), Cassii[2]) (c. CXX. CLXXVI), Dionysii chirurgi (c. CCXII), Euelpisti chirurgi (c. CCXV), Glyconis chirurgi (c. CCVI), Marciani (c. CLXXVII), Megetis chirurgi (c. CCII. CCXXXVIIII), Musae Antonii[3]) (c. CX), Paccii Antiochi (c. LXXXXVII. CLVI. CCXX), Thraseae chirurgi (c. CCIIII. CCVIII), Zopyri (c. CLXVIIII) deprompsit. Sed etiam hominibus a disciplina medicinae longe semotis, qui ex usu prospere datorum medicamentorum magnam famam tulerant, ut secum illa communicarent, pretio quod desideraverant dato persuasit, veluti colicam, qua muliercula quaedam Afra[4]) Romae multos sanaverat, et remedium ad canis rabiosi morsum, quo barbarum quendam in insula Creta uti audiverat, pro magno munere accepit.[5])

Latine scripsisse Scribonium, non Graece, ut Cornarius[6]) statuit, hunc librum ab ipso auctore Graece scriptum Valentiniani imperatoris temporibus ab interprete quodam in Latinum translatum esse ratus, hodie nemo negabit, qui dicendi genus paulo diligentius examinaverit. Quod quamquam a Cornelii Celsi aetate paulo superioris elegantia multum distat, nihil tamen habet, quod ab illius saeculi medico, quippe qui rerum cognitioni quam verborum ornatui plus dederit operae, omnino sit alienum, atque ea vocabula et dictiones, quae cum ab eleganti sermonis Latini consuetudine abhorreant apud meliores eiusdem aetatis scriptores non reperiuntur, cotidiani atque plebei sermonis esse non difficile est demonstare.[7])

1) cuius libris, qui περὶ ὕλης inscribebantur, Plinius et Dioscorides usi sunt.

2) quem Celsus ingeniosissimum saeculi sui medicum laudat p. 11, 37 D.

3) cf. Dio Cass. LIII, 30. Suet. Aug. 59.

4) cf. c. CXXII.

5) cf. c. CLXXI. CLXXII.

6) praefat. ad Marcelli librum de medicamentis p. 8.

7) Exempla sunt haec: ubi *ex transverso* gingiva suppuravit (LXI), multis haec calamitas *ex transverso* accidit (CCXXXI),

Libri de quo quaerimus emendatius edendi consilium inii, quod qui novissime, scilicet ante centum annos, eum ediderat, I. M. Bernholdum (Argentorati 1786) nihil aliud egisse vidi quam ut editionis principis textum omni vitiorum genere infectum iterum typis exprimendum curaret. Mox autem cognovi difficultates non parvas ei qui huius medici textum recogniturus esset superandas esse; liber enim manu scriptus, cuius ad fidem Scribonii verba exigi possint, hodie extare videtur nullus. Quo enim usus est Ruellius, qui primus Scribonium anno p. Chr. MDXXVIII Parisiis edidit,[1]) is aut periit aut nondum investigari potuit, quamquam cum alii tum Albertus Koehler Norimbergensis collega doctissimus itinere per Italiam suscepto multum elaboravit, ut codicem si qui superesset bibliothecarum latebris abditus nancisceretur.

Quae cum ita sint, ad emendanda Scribonii verba magno nobis usui est Marcellus qui vocatur empiricus, qui cum Theodosio II. imperante *de medicamentis empiricis, plysicis ac rationabilibus* librum ex variis auctoribus componeret, Scribonii conpositionum multo maiorem

et numquam ulli *se vivo* conpositionem eius dedit (LXXXXIIII), ne hic quidem ulli *se vivo* conpositionem dedit (LXXXXVII), in *processa aetate* (C), *infinita* celeritate (CCXXI), infinitus dolor (CLXXXX. CLXXXXIIII. CLXXXXVIII), libertus *supra* hereditates (CLXII), pondo *dua* (LXXXI *et saepius*), *totum in eo est,* ut (CCXXVII), *erumpit se* e naribus sanguis (XLVI), *facit* sudores frigidos *manare* (CLXXX), ephemeron protinus totum os *prurire facit* (CLXXXXIII), globuli qui *efficiunt* mane *deici* quod satis sit (CXXXVIIII), *devirginatio* (XVIII), *complexus* (sc. venereus) *ib.,* hoc *cum eo quod* candidos facit dentes, *tum* etiam confirmat (LX), *sincere* corpus (CXIII), *sincere* elaterium (CCXXIIII), medicamentum *austere* (LVII), gustus *auster* (CLXXXVIII), *remediatio* (XI), et *remediare* vocabulum, quo saepissime usus est, cum apud Celsum reperiatur nusquam.

1) ab editione principe omnino nihil differt *Basileensis* Cratandri, quae eodem anno prodiit, neque *Aldus* aut *Stephanus,* quorum alter *medicos antiquos omnes* Venetiis a. MDXLVII, alter *medicae artis principes* exceptis Hippocrate et Galeno a. MDLXVII edidit, quidquam nisi levissima mutaverunt.

partem in volumen suum transtulit auctoris[1]) cuius essent nomine celato. Quod quamquam iam pridem multi animadverterant veluti Ioannes Rhodius, qui Scribonium notis amplissimis illustratum verborum indice adiecto edidit Patavii a. MDCLV, nemo tamen adhuc comparatione Scribonii cum Marcello diligenter instituta quaesivit, quantum utilitatis ad Scribonii textum restituendum inde redundaret.

Ego vero cum hunc scriptorem et ob sermonis proprietatem quandam et ob rerum quas tradidit memorabilium copiam non indignum iudicassem, qui mendis sublatis quam plurimis in pristinam quod eius fieri posset integritatem restitutus philologis et medicis antiquitatis studiosis proponeretur, non satis habui Marcelli textum, qualis in editione a Iano Cornario Basileae anno p. Chr. MDXXXVI facta vulgo circumfertur, comparare, sed etiam eius codicem *Laudunensem*[2]) optimae notae saeculo nono vel decimo diligentissime exaratum examinavi et excussi sperans eius ope me corruptos Scribonii locos sanare posse. Quae spes me non prorsus fefellit. Eo enim codice, etsi non integer ad nostram pervenit aetatem — amissis enim pluribus quaternionibus haec Scribonii capitula in eo desiderantur: XXV. XXVI. XXVIII. XXXVI. XXXVII. LXXXXVII — CX. CXXVIII — CXXXII. CLVIII — CLX. CCXXXII—CCXXXIIII. CCXLV. CCLVIIII. CCLXI. CCLXIII. CCLXIIII. CCLXVII — CCLXXI, quae in Cornariana Marcelli editione non desunt[3]) — plurimis locis, ut postea apparebit, verae scriptoris manus restituendae copia mihi facta est.

Sed nihilo minus vitia satis multa me aut non detexisse aut quemadmodum emendarem nescium intacta

1) Quae ratio inter Scribonium et Marcellum intercedat, pluribus disserui verbis in vol. XVIII p. 385 annalium qui inscribuntur Blätter für das Bayer. Gymnasialschulwesen.

2) de hoc codice disputavit Valentinus Rose in Hermae vol. VIII p. 30 sq.

3) at capitula CXVI—CXX, quae apud Cornarium desiderantur, extant in codice Laudunensi.

reliquisse ingenue fateor; itaque opto, ut tandem aut Ruellii codex iterum aut si quis alius vetustior et integrior aetatem tulit in medium proferatur. Quo facto eam quoque quaestionem profligatum iri spero, quae me multum diuque torsit deliberantem, utrum Scribonius hunc librum *de conpositionibus medicamentorum* an, quod mihi placuit, *conpositiones* inscripserit. Illam enim inscriptionem, quae in fronte editionis principis legitur, a Ruellio, non ab ipso auctore profectam esse putaverim, qui quin potius *de conpositione medicamentorum*, ut Aldus eumque secutus Stephanus suo Marte emendaverunt, scripturus fuerit, equidem non dubito, sicuti Galenum libros decem *περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους* et septem *περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ γένη* inscripsisse constat. Qua de causa mihi verisimilius esse visum est alteram inscriptionem, quae in editionis principis fol. I capitulo primo praescripta est, ipsius esse Scribonii.

His expositis restat, ut viris, qui me in hac editione adornanda et re et consilio multum adiuverunt, gratias agam publicas, Eduardo Woelfflin, qui C. G. Kuehnii programmata academica tria mecum communicavit, quibus Ottonis Sperlingii in Scribonium Largum animadversiones aliquot publicatae sunt, Karolo Ernesto Georges, cuius benignitati debeo editionis Rhodianae exemplar, quod quondam C. A. Boettigeri fuit, cuius in margine emendationes nonnullas ab hoc viro adscriptas repperi, Iwano Mueller praeceptori dilectissimo, quem in plagulis corrigendis adiutorem habui diligentissimum.

Scribebam Augustae Vindelicorum
a. d. IV id. Iun. MDCCCLXXXVII.

Georgius Helmreich.

Index notarum.

R = editio princeps Ruellii.
L = Marcelli codex Laudunensis 420.
M = Marcellus sive consensus codicis Laudunensis cum Marcelli textu a Cornario edito exceptis iis locis qui in codice hodie desiderantur.
Rhod. = Rhodius.
〈 〉 inclusi quae praeter editionis principis fidem addenda censui.
[ ] notavi quae delenda sunt.

Signa ponderum medicinalium.

X̶ = denarius.
p. X̶ = pondus denarii.
— = uncia.
Z = sextans.
϶ = scripulum.
S = semis.

SCRIBONIUS LARGUS C. IULIO CALLISTO SUO S.

Inter maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse medicamenta divinas manus esse, et id quidem non sine ratione, ut mea fert opinio: prorsus enim quod tactus divinus efficere potest, id praestant medicamenta usu experientiaque probata. Animadvertimus itaque saepe inter deliberationes contentionesque medicorum auctoritate praecellentium, dum quaereretur, quidnam faciendum aut qua ratione succurrendum esset aegro, quosdam humiles quidem et alioquin ignotos, usu vero peritiores, vel — quod fateri pudet — longe summotos a disciplina medicinae ac ne adfines quidem eius professioni medicamento efficaci dato protinus velut praesenti numine omni dolore periculoque liberasse aegrum. Quamobrem spernendi sunt, qui medicinam spoliare temptant usu medicamentorum, non a medendo, sed a potentia effectuque medicamentorum ita appellatam, probandi autem, qui omni modo succurrere periclitantibus student. Ego certe aliquotiens magnum scientiae consecutus sum titulum ex usu prospere datorum medicamentorum multosque ex eadem causa non mediocrem gloriam tulisse memini.

Cornelius celsus g. iul. Callisto salutem dicit *L.*
2 G. iuli callistae *L.* divinas manus *Rhod.*: divinum munus *R* deorum immortalium manus *M*; *cf. Gal. vol.* XII, *p.* 966 *K*: *οἷόνπερ θεῶν χεῖρας εἶναι τὰ φάρμακα.* 7 praecedentium *M.* dum] cum *Boettiger; sed cf. E. Hoffmann, die Construction der lat. Zeitpartikeln* p. 171. quaeritur *M.* 8 sit *M.* 9 alioqui *L.* 10 vel *M*: et *R.* semotos *Ronsseus.* 12 professioni *M*: professionis *R.* 14 *post* sunt *add.* quidem *M.* temptant *L plerumque*: tentant *R.* 18 aliquotiens *L*: aliquoties *R.*

Est enim haec pars medicinae ut maxime necessaria, ita certe antiquissima et ob hoc primum celebrata atque inlustrata, siquidem verum est antiquos herbis ac radicibus earum corporis vitia curasse, quia timidum genus mortalium inter initia non facile se ferro ⟨ignique⟩ committebat. Quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes, et nisi magna conpulsi necessitate speque ipsius salutis non patiuntur sibi fieri, quae sane vix sunt toleranda. Cur ergo aliqui excludant medicinam usu medicamentorum, non invenio, nisi ut detegant inprudentiam suam. Sive enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, merito accusandi sunt, quod tam neglegentes in tam necessaria parte ⟨artis⟩ fuerint, sive experti quidem sunt eorum utilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt, quia crimine invidentiae flagrant, quod malum cum omnibus animantibus invisum esse debet, tum praecipue medicis, in quibus nisi plenus misericordiae et humanitatis animus est secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus diis et hominibus invisi esse debent. Idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinae legitime est obligatus; sed persequetur eos, cum res postulaverit, ut miles et civis bonus omni modo, quia medicina non fortuna neque personis homines aestimat, verum aequaliter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur nullique umquam nocituram profitetur.

Hippocrates, conditor nostrae professionis, initia disciplinae ab iureiurando tradidit, in quo sanctum est, ne praegnati quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur aut demonstretur a quoquam medico, longe praeformans animos discentium ad humanitatem. Qui enim

2 inlustrata *L*: ill. *R*. 4 timidum *M*: etiamtunc *R*. 5 ignique *om. R, addidi e M*. 7 conpulsi *L*: comp. *R*. 8 sanis *Cornarius*. 9 usu *Boettiger*: et usum *R* de usu *M*. 10 inprudentiam *L*: impr. *R*. 13 artis *om. R, addidi e M*. 15 quia *M*: qui *R*. 16 debeat esse *M*. 17 in *om. L*. 25 umquam *L*: unquam *R*. 29 pregnati *L*: praegnanti *R*.

nefas existimaverit spem dubiam hominis laedere, quanto scelestius perfecto iam nocere iudicabit? Magni ergo aestimavit nomen decusque medicinae conservare pio sanctoque animo quemque secundum ipsius propositum se gerentem: scientia enim sanandi, non nocendi est medicina. Quae nisi omni parte sua plene incumbat in auxilia laborantium, non praestat quam pollicetur hominibus misericordiam. Desinant ergo, qui prodesse adflictis aut nolunt aut non possunt, alios quoque deterrere negando aegris auxilia, quae per vim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primum cibis ratione aptoque tempore datis temptat prodesse languentibus; deinde si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit vim: potentiora enim haec et efficaciora quam cibi. Post ubi ne ad haec quidem cedunt difficultates adversae valetudinis, tunc coacta ad sectionem vel ultimo ad ustionem devenit. At Asclepiades, maximus auctor medicinae, negavit aegris danda medicamenta: quidam enim hoc mendacio etiam pro argumento utuntur. Poteram tamen, si verum id esset, dicere: Viderit Asclepiades, quid senserit; forsan non omnino in hanc partem animum intendit. Homo fuit, parum feliciter se in hoc negotio gessit. Non deterreor persona, cum rem tam manifeste prodesse videam. Nunc vero cum tam inpudenter comminiscantur de eo, quid possum ultra dicere nisi genere quodam parricidium ac sacrilegium eos committere, qui haec dicunt? Ille enim febricitantibus vitiisque praecipitibus correptis, quae *ὀξέα πάθη* Graeci dicunt, negavit medicamenta danda, quia cibo vinoque apte interdum dato remediari tutius eos existimavit. Ceterum in libro, qui *παρασκευῶν*, id est praepa-

2 perfecto iam *M*: perfecte iam nato *R*; *cf. Graecorum vocem τέλειος.* 9 alios quoque deterrere *M*: aliosque deterrent *R*. 16 valitudinis *L*. 18 venit *M*. 21 Viderit *L*, *manu autem recentiore* t *littera erasa est.* 22 forsitan *M*. 25 inpudenter *L*: imp. *R*. 28 *ὀξῆ* *R* hoxyepathe *L*. 31 quae parasceuon *L*: qui *παρασκευαστικῶν* *R*; *cf. Cael. Aur.*

rationum inscribitur, contendit ultimae sortis esse medicum, qui non ad singula quaeque vitia binas ternasve conpositiones expertas et protinus paratas habeat. Vides ergo, quam non placeat Asclepiadi usus medicamentorum, cui nisi plura quis ad quodque genus vitii medicamenta conposita habeat, non videtur dignus professione medicinae? Sed ista licentia nomine tantummodo medicorum propter quorundam neglegentiam latius processit. Raro enim aliquis priusquam se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat, cum interim nemo ne imaginem quidem suam committat pingendam nisi probato prius artifici per quaedam experimenta atque ita electo. Habent itaque omnes pondera atque mensuras exactas, ne quid erroris in rebus non necessariis accidat: videlicet quia sunt quidam, qui pluris omnia quam se ipsos aestimant. Itaque sublata est studendi cuique necessitas et non solum antiquos auctores, per quos consummatur professio, quidam ignorant, sed etiam comminisci falsa de iis audent. Ubi enim delectus non est personarum, sed eodem numero malus bonusque habetur, ⟨disciplinae ac sectae observatio perit⟩ quodque sine labore potest contingere idemque dignitatis utilitatisque praestare videtur posse, unus quisque id magis sequitur. Sic ut quisque volet, faciet medicinam. Quosdam enim a perverso proposito nemo potest movere et sane omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis. Multos itaque animadvertimus unius partis sanandi scientia medici plenum nomen consecutos.

Nos vero ab initio rectam viam secuti nihil prius

chron. II, 13, 186: Asclepiades ad ipsum scribens libros parasceuasticos. 2 conpositiones *L plerumque*: comp. *R*. 3 expertas et protinus *scripsi*: et expertas protinus *R* et exp. et pr. *M*. 10 interim *om. M*. 11 artifici *M*: artifice *R*. 12 habeantque *pro* habent itaque *L*. omnes, *non* omnia *praestat L*. 14 non *om. M*. 15 alia *pro* omnia *M*. aestiment *M*. 18 de iis *scripsi*: diis (h *littera superscripta*) *L* de his *R*. 20 disciplinae ac sectae observatio perit *om. R*, *addidi e M*. quodque *M*: quod *R*. 22 id unusquisque *M*. 26 sanandae *Rhod.*

totius artis perceptione, qua homini permittitur, iudicavimus, quia ex hac omnia commoda nos consecuturos existimabamus, non medius fidius tam ducti pecuniae aut gloriae cupiditate quam ipsius artis scientia. Magnum enim et supra hominis naturam duximus posse aliquem tueri vel reciperare suam et unius cuiusque bonam valetudinem. Itaque ut ceteris partibus disciplinae, ita huic quoque, quae per medicamenta virtutem suam exhibet, curiose institimus, eo magis quod percipiebamus in dies ex usu profectus eius, quos interdum supra fidem atque opinionem plurimorum exhibebamus. Sed quid ultra opus est probare necessarium usum esse medicamentorum, praecipue tibi, qui quia percepisti utilitatem eorum, idcirco a me conpositiones quasdam petisti? Ego autem memor humanitatis tuae candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plene, mihi autem etiam peculiariter praestas, non solum quas desiderasti, verum etiam si quas alias expertas in praesenti habui, in hunc librum contuli. Cupio enim medius fidius, qua possum, tuae in me tam perseveranti benevolentiae respondere adiutus omni tempore a te, praecipue vero his diebus. Ut primum enim potuisti, non es passus cessare tuae erga me pietatis officium tradendo scripta mea latina medicinalia deo nostro Caesari, quorum potestatem tibi feceram, ut ipse prior legeres simpliciterque indicares mihi, quid sentires: plurimum enim iudicio tuo tribuo. Tu porro candidissimo animo et erga me benevolentissimo diligentiam meam sub tanti nominis editione non verbis, sed re probasti periculumque non minus tu iudicii quam ego stili propter me adisti, quo tempore divinis manibus laudando consecrasti. Fateor itaque libenter unicas me tibi gratias agere, quod et prius

1 qua *Rhod.*: quā *L* quae *R.* 4 scientiae *Cornarius.* 5 vel *M*: et *R.* 6 reciperare L^1: recuperare L^2R. valitudinem L^2 valet. L^1. 14 petisti *L*: petiisti *R.* 16 plenissime *M.* 20 benivolentiae *LR.* 21 istis *pro* his *M.* 25 *post* sentires *add.* de his *M.* 27 benivolentissimo *L.* diligentiam meam *om.* *M.* 29 tu *Buecheler*: tui *RM.*

quam rogareris consummasti amicissimo adfectu vota mea ⟨et⟩ quod contigit mihi favore plenissimo tuo maturiorem percipere studii huius mei fructum ac voluptatem. Ignosces autem, si paucae visae tibi fuerint conpositiones et non ad omnia vitia scriptae: sumus enim, ut scis, peregre nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus libellorum. Postea tamen, si et tibi videbitur, ad singula quaeque vitia plures conpositiones colligemus. Oportet enim copiam quoque earum selectam habere, quoniam revera quaedam quibusdam magis et non omnes omnibus conveniunt propter differentiam scilicet corporum. Quarum initium a capite faciemus, summum enim et primum locum hoc obtinet, dantes operam, ut simplicia prima ponamus: interdum enim haec efficaciora sunt quam ex pluribus conposita medicamenta. Erit autem nota denarii pro Graeca drachma: aeque enim in libram X octoginta quattuor apud nos, quot drachmae apud Graecos incurrunt. Primum ergo ad quae vitia conpositiones exquisitae et aptae sint, subiecimus et numeris notavimus, quo facilius quod quaeretur inveniatur; deinde medicamentorum, quibus conpositiones constant, nomina et pondera vitiis subiunximus.

2 et quod *M*: quod *R* quo *Rhod.* 3 ignosce *littera* s *erasa L.* 7 tamen] autem *Cornarius.* 8 vitia *om. M.* 11 *post* corporum *inseruit Cornarius* et affectionum. 12 quasi *add. M ante* primum. 13 simplicia remedia *M.* prima *scripsi*: primo *R* prima quaeque *M.* 15 denarii *M*: denarii unius *R.* 16 libram *scripsi*: libra *R.* X *Hultsch*: X denarii *R.* 17 *verba* primum ergo *usque ad* subiunximus *om. M.*

Scribonii Largi conpositiones.

I. Ad capitis dolorem etiam in febre primis diebus bene facit serpulli pondo quadrans, rosae aridae pondo quadrans. Haec incoquuntur duobus sextariis aceti acerrimi, donec ad dimidias perducantur. Inde sumitur cyathus et duobus rosae commiscetur frequenterque ex eo curatur caput: ubi enim concaluit quod infusum est, nisi aliud recens adiciatur, nocet.

II. Item prodest eodem modo ruta per se vel cum hederae bacis decocta. Polygonium quoque et menta multis profuit eadem ratione decocta et infusa capiti dolenti. ⟨Item levat capitis dolorem⟩ sphondylion et agni semen et platani pilulae similiter aceto incoctae rosaeque folia residuo aceto commixta.

III. Cum autem pluribus diebus permanserit dolor, tum omnium supra dictorum oportet uncias singulas sumere iisque admiscere lauri bacarum, castorei, nucum amararum, pulei, sampsuci foliorum, singulorum unciam et in aceti sextariis tribus decoquere ad dimidias ⟨et⟩ eodem modo rosa admixta, non tamen frequenter, caput curare.

IIII. Ad omnem capitis dolorem efficaciter prodest crocomagmatis pondo sextans, aluminis fissi vel gallae pondo uncia. Haec terere ex aceto et rosa vicibus adiecta oportet,

1 febri *M.* 2 serpulli *L*: serpylli *R.* 5 duobus *Rhod.*: in duobus *R* duobus rosae cyathis *Cornarius.* 6 incaluit *M.* 9 bacis *L semper*: baccis *R.* polygonos *M.* 10 eadem *M*: ea *R.* 11 Item levat capitis dolorem *addidi M secutus, qui praebet*: Dolorem capitis levat; *cf. c.* 53 item levat aeque dolorem dentium. sfondilion *L* spondylion *Cornarius.* hyagni *L.* 16 hisque *L.* 17 pulei *L*: pulegii *R.* sabuci *L.* unciam *scripsi*: uncias *R* uncias singulas *M.* in aceti sextariis tribus *scripsi M secutus*: aceti sextarios tres *R.* 18 et *addidi e M.*

usque dum mellis habeant spissitudinem, inde frontem et utraque tempora oblinere.

V. Ad capitis dolorem, cum inveteraverit, bene facit haec conpositio: Murrae p. X I, croci p. X II, amygdalorum amarorum p. X II, rutae viridis p. X III, sphondylii p. X I, panacis p. X I, laurus bacarum p. X III, serpulli p. X II, castorei p. X I. Teruntur haec omnia aceto et fiunt pastilli; cum opus est, diluuntur aceto et rosa in mellis spissitudinem atque ita frons et tempora inlinuntur.

VI. Oportet vero permanente capitis dolore materiam quoque detrahere ex eo per nares vel os. Quae res etiam auriculae vel dentibus dolentibus prodest nec minus quibus subitae vertigines obversantur, quos σκοτωματικοὺς Graeci dicunt; item comitiali morbo correptos et caligine inpeditos ex magna parte levat. Debent autem ii omnes pridie abstinere et superioribus diebus aquam potare.

VII. Per nares ergo purgatur caput his rebus infusis per cornu, quod rhinenchytes vocatur: Hederae suco per se vel betae suco cum exiguo flore aeris vel cyclamini suco mixto lacte aut aqua pari mensura.

VIII. Bene detrahit e naribus liquorem et haec conpositio: Salis, nitri, mellis, aceti, olei veteris, singulorum p. X binum, cyclamini suci, σταφίδος ἀγρίας, quam herbam pediculariam, quod pediculos necat, quidam appellant, singulorum p. X I. Haec in unum mixta naribus per cornu infunduntur vel pinna longiore nares interius perfricantur. Cum satis visum fuerit fluxisse, ut reprimatur, aqua frigida nares diutius abluere pura oportet vel ea, in qua pridie crocum adiectum maceratum fuerit.

1 habeant *M*: habeat *R*. 4 Murrhae *R hic, ceteris locis* myrrha; *ego ubique scripsi* murra. amigdalarum *L omisso* amararum *vocabulo*. 5 sfondylii *L*. 6 lauri *M*. serpulli *L*: serpylli *R*. 9 oblinuntur *M*. 11 vel per os *M*. 12 auriculam vel dentem dolentibus *M*, *sed cf. Plin. de re medic.* I, 2 *ed. Rom.* 13 scutomaticos *L*. 14 cumiciale *L*. 15 inpeditos *L*: imp. *R*. 17 his *M*: iis *R*. 18 rhinecytes *L*. suco *L semper*: succo *R*. 23 staphidos agrias *L*. 24 peduclariam *L*. 26 cornu *M*: cornum *R*. 28 pura *post* fri-

VIIII. Sed si per os magis detrahere materiam visum fuerit, quia non sine tormento per nares ea deduceretur, suadebimus pyrethri radiculam commanducare atque subinde hiantem pati fluere salivam, vel uvam passam cum piperis albi granis totidem dabimus commanducandam et expuendam: aeque enim et haec deducunt pituitam. Bene facit et sinapi ex aceto tritum et non excastratum gargarizatum trium cyathorum mensura admixto mellis pondo quadrante: detrahit enim largiter pituitam.

X. Prodest, cum diu caput dolet, adtondere ad cutem et radere et diutius siccum ad relaxationem cutis fricare et aqua calida fovere pura vel laurum incoctam habente. Quo tempore etiam sternutamentum concitare non alienum erit medicamento, quod ex his rebus conponitur: Veratri albi, castorei, struthii, quod est radix lanaria, piperis albi, singulorum p. Ӿ I. Haec contusa tenuiter forato cribro transmittuntur; cum opus fuerit, per pinnam vel calamum scriptorium naribus insufflentur vel specillo tincto in aqua et excusso tacta naribus iniciantur. Proritat sternutamentum etiam per se contusum et eadem ratione iniectum veratrum album. Nigrum siccum et aridum sternutationem statim invitat.

XI. Capitis dolorem quamvis veterem et intolerabilem protinus tollit et in perpetuum remediat torpedo nigra viva inposita eo loco, qui in dolore est, donec desinat dolor et obstupescat ea pars. Quod cum primum senserit, removeatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. Plures autem parandae sunt eius generis torpedines, quia nonnumquam vix ad duas tresve respondet curatio, id est torpor, quod signum est remediationis.

gida *collocatum habet M.* 3 pyretri *L.* conmanducare *L.* 7 senapi *L.* gargarizare *M.* 15 castorei] *cf. Gal.* XII, 583. 17 transmittantur *M.* 18 insufflentur *M*: sufflentur *R.* 19 aqua *M*: aquam *R.* 23 quamvis *M*: quemvis *R.* 24 nigra viva *M*: viva nigra *R.* 25 ei loco *M.* 26 obtorpescat *M*, *sed cf. Plin. nat. hist.* 36, 56: obstupescit ita corpus nec sentit cruciatus. 28 turpedines *L.*

XII. Ad comitialem morbum, quem Graeci ἐπιληψίαν vocant, herbam, quam iidem πολύνευρον, nos nervalem appellamus, oportet ieiunum quam plurimam viridem comesse a prima luna ad tricesimam. Haec eadem herba ebrio data copiosa in crapula vinum discutit mentemque restituit.

XIII. Item hinnulei cervi coagulum intra novem dies exceptum bene facit ad morbum comitialem. Intellegitur autem dierum numerus ex eo, quod iacent aures hinnuleorum primis temporibus: a nono enim die subriguntur. Oportet ergo sumere tunc coagulum et arefacere, quo neque sol neque luna accedit, atque inde dare pueris viciae magnitudinis globulum ex aquae caldae cyathis duobus, maioribus vero natu fabae solidae magnitudine ex aquae caldae cyathis tribus per dies triginta. Dentur autem aquae purae super medicamentum cyathi duo aut tres. Hoc remedium qui monstravit, dixit ad rem pertinere occidi hinnulum cultro, quo gladiator iugulatus sit.

XIIII. Constat inter plures et crocodili testiculum pondere X I aut victoriati per dies triginta ex aquae cyathis tribus sumptum multos remediasse.

XV. Ad recentem comitialem morbum cito proficit, ad veterem tardius: Thymi albi p. X III ex aceti cyathis tribus et mellis boni pondo uncia; ut dilutum ieiunus bibat per dies quadraginta quinque. Sed cum biberit, citatus ambulet milia passuum minime duo.

XVI. Scio Romae quandam honestam matronam aliquot comitiali morbo liberasse hoc medicamento: Eboreae scobis hemina, mellis Attici pondo libra, haec in unum miscentur; postea adicitur, si puer fuerit qui laborat, testudinis masculae, palumbi masculi, utrorumque ferorum, id est nuper captorum, sanguis, quantum fluxerit, dum viva utraque animalia dimittantur: sin autem puella fuerit,

3 plurimam *scripsi*: plurimum *R*. 7 hinulei *R*. 9 hinnuleorum *N. Heinsius*: simul eorum *R*. 15 Dentur] Donentur *Aldus errore typothetae*. 16 super *scripsi*: supra *R*. 20 pondere *scripsi*: p°. *R*. 23 tymi *R*. 26 duo *Rhod.*: duum *R*.

feminei generis animalia sint et eodem modo capta sanguine effuso emittantur. Oportet autem clavum Cyprii aeris acutum demittere in iugulum testudinis et palumbi venas, quae sub alis sunt, aere acuto incidere. Hoc medicamentum ligneo vase servatum reponitur. Cum opus fuerit, dantur ex eo luna decrescente per continuos dies triginta primum coclearia tria, deinde quinque, deinde septem, deinde novem, summum undecim, et rursus novem, deinde septem, deinde quinque, postea tria et iterum augetur minuiturque numerus coclleariorum, donec dies triginta ante dicti consumantur. Postea oportebit scobis eboreae heminam per duos menses consumere vitio correptum, accipientem ex ea terna coclearia in die ex aquae cyathis tribus. Hoc medicamento qui utitur, neque vinum neque suillam gustet; praeterea habeat in brachio verua eborea. Nam sunt et qui sanguinem ex vena sua missum bibant aut de calvaria defuncti terna coclearia sumant per dies triginta.

XVII. Item ex iecinore gladiatoris iugulati particulam aliquam novies datam consumant. ⟨Hoc⟩ quaeque eiusdem generis sunt, extra medicinae professionem cadunt, quamvis profuisse quibusdam visa sint.

XVIII. Illud tamen non oportet ignorare sanari hoc vitium, cum cognitum est, aliquibus: viros facilius mulieribus remediari, pueros vel virgines liberari post complexum et devirginationem.

XVIIII. Ad conturbationes et epiphoras oculorum scio multa collyria, tametsi tarde, magnos tamen effectus habere; sed nulli collyriorum tantum tribuo, quantum lycio Indico vero per se. Hoc enim inter initia si quis ut collyrio inunguatur, protinus, id est eodem die, et dolore praesenti et futuro tumore liberabitur. Supervacuum est autem

6 dantur *Rhod.*: datur *R.* 15 verua] virias *vel* viriolas *Rhod.* 20 Hoc *addidi*; *cf. c.* 104 haec enim et huiusmodi quae sunt. 22 sint *scripsi*: sunt *R.* 30 vero] ue *L* vel *Cornarius.* ut *M*: hoc *R.* 31 inungeatur *L.* id est eodem die *om. M.*

nunc laudes eius referre: in aliis enim expertus intelleges
xx simplicis rei vix credendos effectus. Oportet vero minime quater quinquiesve ex intervallo inunguere, deinde cum combiberint oculi ad singulas inunctiones, ex aqua quam poterint sustinere calidissima spongeis expressis vaporare eos diutius eodemque die in balineum ducere, ita ut cum cetero corpore caput quoque et facies calida inmergatur et foveatur, vinoque uti, ut quisque adsuetus est; postero die si qua vestigia epiphorae remanserint, inunguere collyrio aliquo acriore aquato sub vespere et rursus in balneum deducere et vinum dare eodem modo. Fere enim uno die tollit epiphoram et praecipue incipientem neque adhuc alio medicamento tactam. Sed si ea vis fuerit epiphorae, ut non cedat uno die, expectare oportebit, donec inpetus sedetur, et ita in balneum deducere ceteraque facere, quae praecepimus. Idem hoc medicamentum etiam supra perunctum tardius quidem, sed eosdem effectus praestat, maxime in teneris corporibus, ut mulierum et puerorum, quorum oculi nullius medicamenti vim sustinent. Triduo enim aut plerumque quadriduo tollit dolorem adiutum ovi infusione et aquae calidae vapore.

XXI. Item conpositorum collyriorum hoc maxime probo ad recentes epiphoras et conturbationes oculorum tumoresque et dolores: Aloes Indicae p. X IIII, croci p. X II, opii p. X I, commis p. X IIII, plantaginis suci cyathos tres. Terere oportet per se crocum diligenter, deinde cetera admiscere pridie macerata suci plantaginis cyatho atque ita reliquis duobus cyathis admixtis, cum spissata fuerint, fingere collyria. Utrumque autem genus medicamenti eximie prodesse iudico proprietate quidem

1 intelleges *L*: intelliges *R*. 4 combiberint] coniverint *L*. ex aqua *M*: eaque *R*. 5 sphongeis *L*: spongiis *R*. 6 balineum *L*: balnea *R*. 7 calide (= ae) *L*. inmergat *L*. 8 adsuetus *L*: ass. *R*. 9 inungueri *L*. 14 expectare *scripsi*: expectari *L* spectare *R*. 15 inpetus *L*: imp. *R*. 17 supra oculos inlitum *M*. 20 quadriduo plerumque *L*. 25 commis *ego*: gummis *R*. 30 quidem *om*. *M*.

quadam, sed praecipue quod nullam in se aspritudinem habet ut pleraque, quibus fere inunguntur homines. Nam quae ex cadmia aut aere usto eiusdemque generis pigmentis conponuntur, quamvis curiose terantur, naturam suam tamen amittere non possunt. Numquam enim ut sucus diluuntur, sed cum in summam subtilitatem deducta sint perseverantia terentium, tamen corpora quasi pulverulenta necesse est maneant, quae oculorum partes velut configunt, certe exterius pungunt foramina primae tuniculae oculi atque ⟨ab⟩ initiis interdum non tam molestam futuram concitant epiphoram.

XXII. Quo nomine etiam quod dia glauciu dicitur probo in initiis. Nam et hoc genere quodam ex eadem materia constat nec ullam aspritudinem habet, quando sic conponitur: Croci p. 𐆖 V, sarcocollae p. 𐆖 X, glaucei suci p. 𐆖 XX, tragacanthi p. 𐆖 V, opi p. 𐆖 V. Hoc enim ego adicio et ita melius respondet. Sed opium et in hoc et in omni collyrio medicamentoque verum adicere oportet, quod ex lacte ipso silvatici papaveris capitum fit, non ex suco foliorum eius, ut pigmentarii institores eius rei conpendii causa faciunt. Illud enim cum magno labore exiguum conficitur, hoc sine molestia et abundanter. Teritur ante omnia crocum aqua pluviatili, deinde adicitur sarcocolla, glaucium, opium, tragacanthum, prius omnia seorsum macerata non multa eius generis aqua, ut quam primum, id est, si potest fieri, eodem die fingantur col-

5 numquam *L*: nunquam *R*. 6 suptilitatem *L*. deducta sint *scripsi*: perdueta sunt *M* deduci non possint *R*. 7 tamen, *quod ante* terentium *collocatum habet R, transposui M secutus.* 8 quae oculorum *M*: quorum vero *R*. 9 primae tuniculae *Sperling*: prima et uniculae (*sic*) *L* prima et tuniculam *R*. 10 ab *e M addidi.* 12 Quo *M*: Quod *R*. quod *M*: quidem *R*. diaglauciu *L*: diaglaucium *R*. 14 aspretudinem *L*. quando quidem *M*. 15 glaucei *L*, *ut R*. 16 et opi *L*. Hoc *M*: Et hoc *R*. 17 Sed *M*: scilicet *R*. 18 *post* medicamentoque *male interpunxit R*. 20 pigmentarii *om. M*; *an vocabula* institores eius rei *delenda sunt?* eius rei] egregii *C. Barthius*. 21 conpendii *L*: comp. *R*. 22 *post* teritur *male interpunxit R*. 24 dragacanthum *L*. 26 eodem *M*: eadem *R*.

lyria: solet enim diu neglectum mortario inarescere. His utor primis diebus collyriis non ⟨sine⟩ ceteris auxiliis, prout res postulat, abstinendo dico, sanguinis detractione, meliusque eam ceteris proficere adfirmo.

XXIII. Cum vero pluribus quis diebus vexatus fuerit epiphora cum perseverantia tumoris et pituita ipso calore oculorum glutinosior visa fuerit, quod fere sexto septimove die accidere solet, tum proderunt et ea, quorum genus superius inprobavimus, conposita ex rebus metallicis: facilius enim iam patiuntur oculi, si modo exulcerati non fuerint, iniuriam. Quorum praecipue hoc mihi placet, quod a colore φαιὸν dicitur; accipit autem haec: Aeris usti p. X̶ XII, cadmiae ustae p. X̶ XII, stibii cocti p. X̶ XII, acaciae chylismatis p. X̶ VI, aloes p. X̶ III, opi p. X̶ II, croci p. X̶ III, castorei victoriati pondus, murrae, lycii idem [scilicet] ponderis, commis p. X̶ XVIII. Aqua pluviatili quae sunt dura tam diu teruntur, donec levissima fiant, postea cetera alio mortario singula trita admiscentur; cum tollendum est, commi adicitur. Hoc quidam etiam in initiis utuntur cum ovi aquato liquore per se vel cum collyrio, quod a cinereo colore σποδιακὸν appellatur, conponitur autem ex his:

XXIIII. Cadmiae botryitidos ustae super testam, donec incandescat, et vino Falerno extinctae p. X̶ XL, cretae Samiae, quam vocant astera, p. X̶ LXXX, stibii cocti p. X̶ XX, opi p. X̶ X, commis Alexandrini p. X̶ XX. Teruntur

1 inacescere *M* nigrescere *Sperling*. 2 utor *M*: uti *R*. sine *addidi e M*. 3 abstinentia *M*. 4 ea *M*. 6 umoris *L*. 7 septimove *M*: septimoque *R*. 9 inprobavimus *L*: impr. *R*. 10 iam] tum *M*. patientur *M*. 12 phaeon *L*. 14 cylismatis *L*. opi *L*: opii *R*. 15 pondus *M*: pondo *R*. murrae *L*: myrrhae *R*. 16 *vocabulum* scilicet *a M omissum uncis inclusi*. XVIII *L*: decem et octo *R*. 17 dura tam diu *scripsi*: durata diu *R*. 18 cum *M*: dum *R*. 19 quidam *M*: quidem *R*. 21 spodiacon *L*. *post* appellatur *quae verba interposita habet R*: Collyrium spodiacum a quibusdam cinereum dicitur, *ea ex lemmate orta vidit Rhod.* 23 botryidos *L*. testa *L*. 24 candescat *M*. 25 stibiis *L*. 26 opi *L*: opii *R*.

ec omnia aqua pluviatili, commi ultimum adicitur; ante c cum cetera levia sunt facta, opium miscetur maceram pridie aqua. Facit hoc per se etiam initio, cum nuis abundansque fluit lacrima et pustulae molestae sunt, at cum prima tunica oculi exesa est aliave exulcerata. um purum ulcus est, diluitur fere ovi albo, quod est enuissimum.

XXV. Ad sordida ulcera oculorum crustasque habentia, quas ἐσχάρας vocant, item ⟨ad⟩ carbunculos, quos ἄνθρακας dicunt, facit bene et per se mel Atticum pyxide Cyprii aeris conditum et repositum mensibus duobus nec minus: quanto enim diutius remanet, efficacius fit.

XXVI. Sed praecipue hoc collyrium, quod quidam Athenippium, quidam dia smyrnes, quidam εὐῶδες vocant, quia boni odoris est. Quod etiam ad pustulas papulasque et suppurationes oculorum facit et ad cicatrices non veteres et ad palpebrarum recentem aut in corporibus tenerioribus aspritudinem. Oportet autem eo ad sordida ulcera diluto cum ovi albo, id est aquatissimo uti, deinde cum lacrimae fluere desierint, cinereo superinunguere. Item ad pustulas ex ovo tritum facit, ad papulas vero et ad dolores cum rubore et distentione oculi sicca cum lacte muliebri, ex aqua autem ad cicatrices recentes extenuandas et palpebrarum aspritudinem tollendam subiecto scilicet specillo aut inversa palpebra, si quis eo utatur. Conponitur autem ex his: Pompholygis lotae p. X VIII, aeris usti p. X VIII, croci p. X IIII, murrae p. X III, nardi p. X VI et victoriati, lapidis haematitis p. X II et victoriati, piperis albi

5 aliasve *M*. 6 albo *M*: albore *R quo vocabulo Scribonius usus non est*. 9 ad *addidi e M*. 14 Athenippium *scripsi*: Athenippum *R*; *cf. Gal. XII, 789* πάγχρηστον Ἀθηνίκιον. dia smyrnes] *cf. Orelli inscr*. II, p. 258. 15 *post* boni odoris est *R male repetit*: Sed praecipue hoc, *quae vocabula Marcelli auctoritatem secutus sustuli*. 17 tenerioribus *M*: tenuioribus *R*. 19 cum *ante* ovi *om. M*. 22 ex aqua autem *M*: et ex aqua aut *R*. 26 *cf. Gal*. XII, 774. 27 nardi X p°. sex semis et victoriati *R*. 28 haematitae *M*.

grana X, opii p. 𐆖 I aut victoriati, commis p. 𐆖 X. Teritur vino Chio.

XXVII. Collyrium psittacinum a colore ita dictum facit ad epiphoras, quae cum tenui et acri lacrima consistunt, item ad ustiones et solutas cicatrices et vastum tumorem, quem quia a loco interdum videtur propellere oculum, πρόπτωσιν vocant, cum ovi albo, quod est tenue. Sed praecipue facit, cum quasi sanguine suffusi sunt oculi et ob id nullum nisi lenissimum collyrium patiuntur. Recipit autem haec: Croci p. 𐆖 IIII, cadmiae p. 𐆖 IIII, stibis p. 𐆖 IIII, opii p. 𐆖 II, commis p. 𐆖 II, amuli et recentis et dulcissimi p. 𐆖 IIII. Eodem modo, quo scripta sunt, in mortario debent teri ex aqua pluviali; amulum autem, cum iam fingendum erit collyrium, adicietur. Interdum et hoc superinunguantur, qui prius Athenippio curati sunt. His fere collyriis lenibus omnia, quae circa oculos cum tumore et dolore fiunt, remediamus, acrioribus autem his:

XXVIII. Ad cicatrices extenuandas et palpebras asperas, quod quia ex quattuor rebus ut quadriga equis constat et celeres effectus habet, ἅρμα dicitur; recipit autem haec: Aeris usti p. 𐆖 IIII, turis arboris corticis p. 𐆖 IIII, ammoniaci guttae p. 𐆖 IIII, commis p. 𐆖 IIII, teruntur ex aqua pluviali.

XXVIIII. Hoc etiam superunctum ad puerorum epiphoras et qui non sufferunt inunctionem facit, ut huiusmodi medicamenta, quae περίχριστα vocant: Croci Siculi pondo uncia, commis pondo uncia; haec aqua teruntur, fiunt collyria.

XXX. Est et hoc medicamentum satis efficax, quo ita oportet palpebras perunguere, ne quid intra oculum

1 X *prius M*: decem *R*. aut] et *M*. 3 *cf. Gal.* XII, 764. 4 epiforas *L*. 6 a *om. M fort. recte.* 9 lenissimum *M*: levissimum *R*. 10 stipi *L*. 11 amuli *L*: amyli *R*. 12 quo, *cuius loco R exhibet* quae, *ex M recepi, qui praestat*: eodem ordine quo. 15 Athenippo *R* henippio *L* Athenippio *Cornarius*. 16 lenibus *M*: levibus *R*. 17 *post* autem *fort. addendum e M* utimur. his *ego*: iis *R*. 18 et ad palpebras *M*.

fluat. Recipit autem haec: Croci Siculi p. X III, crocomagmatis p. X XII, turis p. X III, aluminis rotundi p. X VI, opii p. X I, murrae p. X II, commis p. X III. Vino Falerno teruntur; cum levia facta sunt et crassitudinem habent mellis spissi, adicitur passi Cretici pondo sextans; reponitur pyxide stagnea; si passum adiectum fuerit, collyrium erit.

XXXI. Bene facit et hoc medicamentum, quo Augustus usus est, et recipit haec: Aluminis fissi p. X XL, turis candidi p. X X, aloes p. X XV, croci p. X XV, opii p. X II, gallae p. X X, rosae foliorum aridorum p. X X, plantaginis suci vel seminis p. X X. Vino Falerno teruntur; cum levia facta sunt et spissitudinem mellis habent, adicitur passi sextarius aut hemina et rursus commiscetur. Reponitur vase stagneo vel argenteo.

XXXII. Ad caliginem et [ad] aspritudinem oculorum siccamque perturbationem sine tumore, quam ξηροφθαλμίαν appellant, facit hoc collyrium bene, quod psoricon dicitur. Habet autem haec: Croci p. X XII, psorici p. X XXIIII, psimithi p. X IIII, opii idem, piperis albi idem, commis p. X VI; aqua pluviali commiscentur, teruntur.

XXXIII. Stratioticum collyrium ad caliginem et aspritudinem, recipit autem haec: Psimithi p. X VI, piperis albi p. X I, omphaci p. X II, cadmiae p. X III, opobalsami p. X II, opii p. X I, commis p. X II, teruntur aqua pluviali. Collyrium hoc melius superiore ad caliginem facit.

XXXIIII. Stacton quod vocant ad eadem, fere autem mulieribus prodest; habet haec: Cadmiae p. X XII, stibis p. X VI, piperis albi p. X II, misys usti, donec puniceum

6 fuerit *M*: non erit *R*. 14 et *Rhod.*: aut *R*. 16 Collyrium psoricum ad caliginem *R*, *ego priora duo vocabula e lemmate orta delevi.* ad *ante* aspritudinem *om. M et R in indice.* 17 xeropthalmiam *L*, *cf. Cass. Fel.* p. 56 *R*. 20 psimbthi *L* psimmithii *R*. 22 ad caliginem et aspritudinem *M et R in indice*: ad aspr. et cal. *R*. 23 psimithi *L*: psimmithii *R*. 24 omphaci *L*: omphacii *R*. 26 superiore *L*: superiori *R*. 28 stibii *M*. 29 misys *scripsi*: misui *L* mysis *R*. pumiceum *L*.

fiat, p. Ӿ II, aeruginis rasae p. Ӿ I et victoriati, aeris floris idem, commis p. Ӿ V; aqua pluviali teritur.

XXXV. Collyrium acre ad extenuandas cicatrices quamvis veteres caliginemque et aspritudinem oculorum, quod semel inunctum plurium dierum effectum praestat. Oportet autem eo aquato uti, diu enim tenet: Ammoniaci guttae pondo libram, aeruginis pondo libram, commis pondo quadrantem, pluviali aqua teritur aerugo, postea cetera adiunguntur macerata aqua.

XXXVI. Collyrium quod proprie facit ad aspritudinem palpebrarum et callositatem; oportet subicere specillum aut invertere palpebram: Aeris usti p. Ӿ XXIIII, aeruginis p. Ӿ VI, croci p. Ӿ X, murrae p. Ӿ I, nardi spicae p. Ӿ I, casiae rufae fistularum victoriati pondus, piperis albi grana XLV, commis p. Ӿ VIIII; vino Chio teruntur.

XXXVII. Medicamentum liquidum ad palpebrarum veterrimam aspritudinem et excrescentem carnem, σύκωσιν quam vocant, item ⟨ad⟩ callum durissimum; hygram appellant, quia est liquidum medicamentum; carnem ex palpebris tollit sine magno dolore. Recipit haec: Murrae, turis, croci, singulorum p. Ӿ III, misyos p. Ӿ III, chalcitis p. Ӿ VI. Haec teruntur diligenter aceto acri; ubi levia facta sunt et habent spissitudinem passi, miscetur eis mellis Attici pondo libra. Deinde in patella aeris Cyprii super carbones posita infervescit, donec mellis habeat non nimium liquidi spissitudinem atque ita reponitur puxide aeris Cyprii. Cum opus fuerit, invertitur palpebra, deinde hoc medicamento suffricatur curiose ad delacrimationem et ubi desierit mordere, rursus invertere oportet palpebram atque ita pollice inpresso membranas innatantes

4 quamvis *M*: et quamvis *R*. oculorum] angulorum *M*. 11 oportet autem aut subicere *M*. 14 pondus *M*: p°. *R*. 16 medicamentum liquidum *om*. *M*. 18 ad *addidi*. 21 mysios *R*. chalcitidis *M Stephanus*. 26 liquidi *M*: liquidam *R*. pyxide *M*. 29 et *M*: id est *R*. *post* mordere *add*. *R* medicamen, *quod interpretis esse inde efficitur, quod Scribonius eo vocabulo utitur nusquam*. 30 innantes *M*.

abducere, quae facile subsequuntur. Post haec cinereo ex aqua inunguendi erunt crassiore. Hoc inunctum multorum annorum callos et aspritudines palpebrarum desperatas a quibusdam ocularioram paucis diebus tollit.

XXXVIII. Ad suffusiones oculorum, quas Graeci ὑποχύματα dicunt, medicamentum liquidum: Feniculi suci p. X III, opobalsami p. X III, mellis Attici p. X III, olei veteris p. X III, hyaenae fellis p. X I, euphorbi p. X I. Hoc oleo diluitur et ita commiscetur ceteris. Aquato uti oportebit hoc medicamento: est enim acerrimum et undique humores trahit. Quamobrem non sunt inunguendi, qui capitis dolorem aut gravitatem habent; item ante biduum aut triduum ut aquam bibant, quos destinaverimus eo unguere. Quamquam melius facient etiam, si perseveranter aquam potaverint: vitio enim molestissimo facilius inter initia carebunt.

Non praeterit me habere te prudentes ocularios, quibus si nomina dixeris collyriorum in hoc libro scriptorum, contendent forsan se quoque habere eadem conposita; sed si pondera aut effectus conparare voles, longe diversos invenies. Ego enim ipse eodem nomine multa conposita, non isdem ponderibus et rebus, interdum habeo, sed his maxime probatis utor. Nec utique adfirmo non posse et alios eadem habere; nam et ipse ab aliis accepi, sed raro. Scio quosdam ocularios simpliciter tradentes conpositiones meque multum elaborasse, ut veras et incorruptas acciperem, conscius sum mihi. Neque illud rursus dico, novas ⟨omnes⟩ et non aliquibus notas ⟨me⟩ in hoc libro congesturum conpositiones, verum etiam quasdam divulgatas et, ut ita dicam, publicatas: eiusmodi enim, quia efficaces sunt, etiam pluribus in notitiam veniunt.

1 adducere *M.* 2 crassius *M.* 5 Hygra ad suffusiones *R* hygra *om. M.* 8 viridis *pro* veteris *M.* euphorbi *L*: euforbii *R.* 11 umores *L.* 12 gravidinem *L.* item] et *M.* 14 eo inunguere *L.* 19 contendent *M*: contendant *R.* 20 conparare *L*: comp. *R.* 22 isdem *L*: iisdem *R.* 25 tradere *M.* 28 omnes *ex M recepi, item* me. 30 puplicatas *L.*

XXXVIIII. Ad auriculae tumorem et dolorem sine ulcere prodest herbae urceolaris aut cucurbitae ramentorum sucus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus. Item bestiolae multorum pedum, quae tactae conplicant se in orbem pilulae rotundissimae similem — *κατοικιδίους ὄνους* aut *πολύποδας* Graeci hoc genus animalium vocant — oleo domestico conplures infervefactae vase ferreo bene faciunt. Prodest et gliris pingue et gallinae adeps et medulla bubula liquefacta tepensque infusa.

XL. Sed praecipue picis flos, quod *πισσέλαιον* appellant, cum oleo communi mixtus, ita ut tertia pars sit olei. Nam et dolores sedat et fere non patitur suppurationem fieri et si facta fuerit, eadem res persanat. Ad summam ego ipse diu vexatus ab aure, cum multis frustra usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus et alios conplures sanavi. Florem picis autem appello, quod excipitur, dum ea coquitur, lana superposita eius vapori; hoc etiam gravitatem odoris protinus tollit.

XLI. Item bene facit hoc medicamentum ad tumorem et exulcerationem aurium: Aceti acris sextariis duobus incoquuntur mala granata, quibus coriarii utuntur, ⟨quae⟩ quia semper acida sunt nec umquam maturescunt, *ῥοὰς ὀξείας* Graeci dicunt, donec madida fiant. Tunc haec adiciuntur et admiscentur: Aluminis fissi uncia, acaciae suci pondo quadrans. Reponitur medicamentum ampulla vitrea. Cum opus est, ad tumorem quidem calidum per strigilem infunditur, deinde foramen summum lana sucida tegitur, ad ulcus autem frigidum per eiusdem generis lanam et auriscalpium inicitur.

XLII. Si caro excreverit in foramine auris, con-

1 tumorem *M*: et tumorem *R ex dittographia.* 5 conplicant *L*: conduplicant *R*. 6 *ὄνους cf. Gal.* XII, 634. 7 conplures *L*: compl. *R*. 8 in vaso *L*. pingue *M*: pinguis *R*. 10 quod] quem *M*. pisseleon *L*. 11 mixtus *M*: mixtum *R*. 12 dolorem *M*. 20 sextariis duobus *M*: sextarii duo *R*. 21 granata duo *M*. 22 quae quia *Boettiger*: quia *R* et quia *M*. acida *M*: valida *R*. 23 rhoas oxias *L*.

pescitur sine dolore aut ferro hoc pastillo: Aluminis fissi pondo triens, aeruginis pondo triens, misyos usti pondo triens, rubricae Sinopidis pondo triens, commis pondo sextans. Teruntur priora ex aceto acri, donec quasi cum collyrium conponitur levia fiant; ultimum commi adicitur et fiunt pastilli, qui ad omnia ulcera faciunt aqua diluti, cum aut conpescenda sunt aut cicatricem debent ducere; sed aquatioribus oportet uti, cum cicatrix est ducenda. Bene faciunt et ad exulceratas nares qualibet ex causa et graviter olentes.

XLIII. Ad parotidas convenit noctuae cerebellum butyro mixtum: discutit enim fere eas sine dolore et molestia. Oportet autem aqua marina ferventi novis spongeis demissis et per linteum intortum utrimque expressis vaporare parotidem atque ita oblinere hoc medicamento superque tegere lana sulphurata totam maxillam.

XLIIII. Item bene discutit parotidas iris Illyrica contusa cocta ex passo more farinae hordeaciae calda bis terve inposita.

XLV. Discutit et hoc medicamentum parotidas, antequam suppuraverint: Spumae argenteae pondo dua, cerussae pondo libra, salis ammoniaci pondo libra, aeris floris pondo dodrans, aceti sextarius, olei veteris sextarii duo et dimidius. Spumam, cerussam, salem per se et cum aceto terere oportet mortario, deinde oleo admixto traicere in caccabum amplum, ne extra fundatur [et effervescat]: effervescit enim valde. Cum haec super ignem posita habuerint emplastri temperaturam mollis, deponere oportebit caccabum; cum fervere desierit, paulatim aspergere

2 misui *L.* 3 rubici senobidis *L.* 6 pastelli *L.* 7 sunt *M*: sint *R.* debent *scripsi*: debeant *R.* 8 ducenda *M*: cludenda *R.* 13 sfongeis *L* spongiis *R.* 14 utrimque *L*: utrisque *R.* 16 sulpurata *L.* 18 hordiaciae *LR.* 19 terve in die *M.* 21 suppuraverint *R in indice*: suppuraverunt *R* suppurent *M.* 23 dimidius *scripsi*: dimidium *R.* 24 *post* spumam *add.* et *R*, *om. M.* 26 caccabum *L*: cacabum *R semper.* et effervescat *vocabula a M omissa inclusi*; *cf. c.* 207. 29 cum vero fervere *L.*

aeris florem et movere spatha medicamentum, ne extra fundatur, et rursus coquere, donec habeat emplastri spissitudinem stricti.

XLVI. Erumpit se e naribus sanguis, qui cum abundanter fluxit, nisi celerius supprimatur, periculum adfert. Proderit ergo aqua frigida vel posca subinde aspergere totam faciem vel spongea refrigerare, acetum acre infundere in aurem, cuius e regione sanguis fluit, aut in utramque, si ex utraque ⟨nare⟩ sanguis emanaverit. Gypso totam faciem cum fronte et maxime nares crasse oblinere prodest et caput frigida aqua copiose superposito aliquo tegumento perfundere vel cucurbitam occipitio adfigere. Inicere autem intus ⟨in⟩ narem oportebit cocleae vivae carnem per se aut cum turis polline tritam vel herbam, quae quia multa est et ubique nascitur, *πολύγονον* appellatur. Item trita facit et *λυσιμάχιον* herba eodem genere. Proderit et spongeae particulam praesectam apte forfice ad amplitudinem et patorem narium figuratam inicere paulo pressius ex aceto per se. Interdum aspergenda ei galla erit vel chalcitis curiose trita vel utraque in unum aequis ponderibus mixta: melius enim facit.

XLVII. Item bene supprimit et hoc medicamentum: Mali corticis, quo coriarii utuntur, pondo quadrans, aluminis Aegyptii pondo sextans, chalcitis pondo uncia. Hoc tritum per sucidam lanam [aspersum medicamentum] inicere oportebit. Facit autem etiam ad omnem ex qualibet corporis parte vel vulnere sanguinis eruptionem.

1 spatula *L.* 3 stricti *om. M.* 4 se *om. Aldus, Stephanus, Rhod.* 7 sfongia *L.* 8 aurem] narem *Rhod.* 9 nare *e M addidi.* 13 in *addidi e M.* narem *M*: narem aut nares *R*; *glossema manifestum sustuli.* 15 polygonos *M.* 16 Item *scripsi*: idem *R.* trita *post* herba collocat *M haud scio an recte.* lysimachios *M.* 17 sfongiae *L.* forfice *M*: forcipe *R.* 24 chalcitidis *M.* 25 sucidam *L*: succidam *R semper.* aspersum medicamentum *vocabula cum in M desint, tamquam glossema inclusi.* 27 vel vulnere sanguinis eruptionem *scripsi*; seu vulneris sanguinisque eruptionem *R* vel ex quolibet vulnere sanguinis eruptionem *M.*

Quoniam interdum ita, ut diximus, minus curati praefocari videntur et maxime cum utraque obturata spisse necessario sunt foramina narium, quia spirandi facultas eripitur, non alienum est scire, qua ratione utrumque praestari possit, ut neque spiratio interpelletur neque remedium efficacissimum, quod per oppilationem narium efficitur, excludatur. Oportet ergo sumere pinnam anseris quam maximam vel calami scriptorii fistulam modice plenam, deinde aptare ad longitudinem nasi atque ita praecidere, utraque parte ut perforata sit, involvereque eam fasciola tenui lintea quasi instita ⟨et⟩ explere circuitum eius, donicum videatur pator narium cuneatione quadam recipere posse fistulam atque ita ut est circumvoluta inmergere aceto acri et inicere interdum per se vel asperso super acetum utro libuerit ante dictorum medicamentorum. Hoc autem remedio magis uti ⟨oportebit⟩, cum per utrasque nares sanguis abundavit.

XLVIII. Ad ulcera in naribus: Plumbi stercus, quod σκωρίαν dicunt, ex vino et murteo oleo vicibus adiecto terere opórtet, donec spissum fiat, et ita per pinnam nares obteguntur.

XLVIIII. Facit et hoc medicamentum bene: Pompholygis p. X IIII, cerussae p. X XII, hysopi p. X III. Vino Falerno et rosa vicibus adiecta teritur, donec mellis habeat temperaturam.

L. Ad gravem odorem narium — ὄζαιναν Graeci hoc vitium vocant — aeruginis pondo quadrantem aut squamae aeris pondo quadrantem aut utramque rerum ponderis sescunciae in mellis despumati pondo libra decoquere oportebit et eo uti liquido per pinnam.

1 praefocari *M*: praefocati *R*. 6 quod per (= per quod) oppilatio narium efficitur *Georges*. 10 eam *M*: ex *R*. 11 instita *M*: insita *R*. et *M*: *om. R*. 12 donicum *Rhod.*: donec cum *R* donec *M*. 13 circumvoluta inmergere *L*: circumvolutam mergere *R*. 16 oportebit *e M addidi*. 19 scorian *L* scoriam *R*. 21 obteguntur] obrigantur *C. Barthius*, et ita naribus infundatur *M*. 26 ozenam *L*.

Si repetierit aut permanserit nihilo minus aliquis dolor, super medicamentum auriscalpium cum lana ex oleo candenti eodem modo inponere saepius oportebit, id est donec dolor tollatur.

LVII. Sed si quando moventur dentes ex perfrictione, confirmandi erunt plurima gargarizatione lactis asinini aut vini Marsici ad tertias decocti, in quo lapathi radices conici debebunt, ut una decoquantur. Stringit etiam dentes alumen, quo infectores utuntur, ex melle Attico, ita ut duae partes sint mellis, tertia aluminis. Haec misceri oportet mortario, deinde patella fictili fervefacere, ut spissentur, atque ita recondere quolibet vase dum ne aereo. Hoc medicamentum primo austere ⟨est⟩ et nimis perstringit dentes, postea remissius videbitur.

LVIII. Item proderit motis dentibus hoc medicamentum: Aceti acerrimi sextarius unus semis, cedriae verae, ne habeat picis aliquam mixturam, hemina, aluminis fissi pondo triens. Teritur alumen cum aceto, miscetur deinde cedriae et una omnia vase aereo coquuntur taeda pingui mota, donec in mellis spissitudinem temperati redigantur. Hoc medicamento si quis ter in mense dentes fricuerit, dolorem eorum non experietur.

LVIIII. Dentifricium, quod splendidos facit dentes et confirmat: Farinae hordeaciae sextarium conspergere oportet aceto cum melle mixto et subigere diutius atque ita in globulos dividere sex; quibus dilatatis admiscere salis fossicii semunciam, deinde furno coquere, donec in carbonem redigantur. Tunc terere oportebit eos globulos et admiscere spicae nardi quod satis videbitur ad odorem faciundum; hoc Octavia Augusti soror usa est.

5 movebuntur *M.* 7 *fortasse legend.* quod. 12 vaso *L.* dum ne aeneo *M*: aereo donec *R.* 13 auster est *L* austere *R omisso* est *vocabulo.* perstringit *scripsi*: perstringere *R* constringit *M.* 14 videtur *M.* 19 vaso *L.* taeda *L*: teda *R.* 20 medicamentum redigatur *R*; *ego M secutus deleto* medicamentum *vocabulo scripsi* redigantur. 24 ordiaciae *L.* 26 admiscere *scripsi*: admisceri *R.* 29 odorem *M*: dolorem *R.*

LX. Ad dentium dolorem et confirmationem bene facit radicis edulis cortex sole arefacta et contusa, cribrata; item vitrum candidum, quod simile crystallo est, diligenter tritum admixta spica. Utuntur plerique etiam huiusmodi dentifricio: Herbam urceolarem legunt, cum iam in semine est, quam plurimam cum radice, deinde lotam uno die siccant, postridie recenti muria dura macerant, tertio die expressam olla nova conponunt, subinde salis fossicii quasi tabulata interponunt atque ita percoquunt fornace balneariorum, donec in carbonem redigantur. Postea tritae ad tertias admiscent spicae nardi quod satis est. Hoc cum eo quod candidos facit dentes, tum etiam confirmat. Augustam constat usam. Nam Messalina dei nostri Caesaris hoc utitur: Cornorum cervi ustorum in olla nova ad cinerem redactorum sextario uno, masticlies Chiae pondo uncia, salis ammoniaci pondo sescuncia.

LXI. Solent gingivae quorundam fluore infestari, quas praegnates vocant. Prosunt eis lentisci folia arida contusa et cribrata ⟨tenuiter⟩ perforato cribro; facit et cinis eiusdem lentisci foliorum ex aqua eiusdem decocti.

Conpositum autem hoc medicamentum prodest, quod et ad omnia ulcera, quae in ore fiunt, utile est; ἀνθηρὰ a Graecis appellatur. Recipit haec: Aluminis fissi p. Ӿ IIII, murrae p. Ӿ I, croci p. Ӿ II, cyperi, id est iunci, radicis p. Ӿ II, gallae p. Ӿ I, rosae lutei floris p. Ӿ I, sandaracae p. Ӿ III. His omnibus rebus tunsis cretis arido medicamento uti oportet per pinnam etiam ad παρουλίδας et ἐπουλίδας, id est ubi ex transverso gingiva suppuravit vel ubi super extremum molarem increvit [gingiva] aut

2 cortix *L.* 4 spica nardi *M.* 7 dura *om. M.* 10 balneari *M.* redigatur *M.* 11 tritae *M*: trita *R.* ad tertias *om. M.* 12 est] sit *M.* 15 olla nova *Rhod.*: ollam novam *R* olla *omisso* nova *vocabulo M.* masticis *L.* 16 semuncia *M.* 18 prenates *L* praegnantes *R.* his *pro* eis *L.* 19 tenuiter *e M addidi.* 22 anthera *L*; *cf. Cass. Fel. p.* 78 *R, ubi fere eadem compositio extat.* 24 mirrae *L.* cyperi *M*: cypiri *R.* 29 aut tonsillarum tumorem magnum ut digito pressius fricentur vel ubi super extremum molarem increverit

⟨ad⟩ tonsillarum tumorem magnum, ut digito pressius fricentur.

LXII. Est et molestum interdum, cum cancer os corripit, quod initiis neglectum brevi spatio temporis mortis causa est. Oportet ergo cum primum visum fuerit, antequam latius serpat faucesque occupet, misy usto quam plurimo cum melle uti saepius, deinde colluere aqua oleastri decocti subinde aut corticis mali granati.

LXIII. Medicamentum Andronis prodest in omni parte corporis facto cancro, recipit autem haec: Mali granati corticis p. Ӿ X, terrae mali p. Ӿ VIIII, aloes p. Ӿ IIII, murrae p. Ӿ II, gallae p. Ӿ VIII, aluminis fissi p. Ӿ III, aeris floris p. Ӿ duum. Teruntur et cribrantur sicca curiose, deinde admiscetur passum Creticum, dum habeat spissitudinem mellis; vitro reponitur. Cum opus est, vino austero [sumendum medicamentum est] diluitur. Facit hoc medicamentum ⟨et⟩ ad carbunculos et ad ignem sacrum et ad zonam, quam Graeci ἕρπητα dicunt.

LXIIII. Ad faucium uvaeque tumorem stomatice hac fere utuntur, quia nullam aspritudinem habet et satis efficax est: Uvae Amineae acerbae, cum primum granum incipiet perlucere, suci sextarios quattuor, mellis Attici sextarium commisceto in unum atque in aereo vaso coquito subinde movens, donec mellis spissitudinem habeat.

LXV. Altera ad eadem utor stomatice, cum diutius vexatae partes ante dictae sunt: Aluminis fissi p. Ӿ II, gallae contusae p. Ӿ II, omphaci aridi p. Ӿ I, croci p. Ӿ I, passi Cretici sextarius unus. Hoc decoquitur vaso fictili ad

gingiva *R*; *verborum ordinem restituit Rhod.*, *ego* increvit *scripsi et* gingiva *uncinis circumscripsi.* 1 ad *inseruit Rhod.* 6 misui *L.* 15 cum opus est, vino austero sumendum medicamentum est, vitro reponitur, diluitur *R*, *ego vocabula* vitro reponitur *post* mellis *transposui et vocabula* sumendum medicamentum est *a M omissa tamquam glossema uncis inclusi.* 17 et *addidi e M.* 18 herpetam *L.* 21 incipit *M.* 25 ad eadem *scripsi*: eiusdem *R* altera ad eiusmodi molestias compositio *M.* 27 omphaci *L*: omphacii *R.*

dimidias et ita cetera diligenter trita admiscentur. Utrumque autem medicamentum stagneo reponendum est vaso.

LXVI. Ubi vero suppuratio faucium suspecta est diutius permanente earum tumore et interdum febriculis non sine horrore intercurrentibus oportebit gargarizare quidem aqua mulsa crebrius furfuribus siligineis decocta vel passo ad dimidias decocto bene caldo, uti ore et faucibus diutius contineatur, vel ea aqua, in qua ficus arida pinguis erit decocta, perunguere autem fauces hoc medicamento, qua tactus sustinere poterit, pusillo pressius: Mellis optimi heminam, resinae terebinthinae p. X II, rosae cyathos II. Resinam cum rosa in duplici vaso, uti solent unguentarii, liquefacere oportet, deinde admiscere ei mel et coquere, donec spissum fiat medicamentum. Hoc etiam cum eruperit suppuratio, uti oportet: expurgat enim et explet idem.

LXVII. Ad anginam prodest sanguinis detractio, cucurbitarum admissio ceteraque auxilia, quibus medici efficacius utuntur. Medicamenta autem simplicia quidem haec faciunt: Laser Cyrenaicum, si poterit inveniri: sin minus, Syriacum aqua dilutum, crassius per pinnam faucibus adhibitum; item euphorbium aqua dilutum.

LXVIII. Conpositorum autem medicamentorum haec sunt apta: Fellis taurini, salis, aceti, mellis, olei veteris aequas partes in unum miscere oportet et cum opus fuerit, pinna perfricare fauces diutius.

LXVIIII. Item bene facit: Git fricti p. X II, pyrethri p. X I, sagapeni victoriati pondus; melle miscentur haec in unum trita.

LXX. Facit bene et hoc medicamentum: Fellis taurini p. X II, elaterii, qui est sucus cucumeris silvatici, p. X I, cachryos animati p. X I; tritum melle admixto reponitur. Cum opus est, dilutum aqua tepida sumitur et

5 incurrentibus *M.* 10 qua *L*: quam *R* quantum *Cornarius.* 12 *fortasse* quo uti. 15 oportebit *M.* 17 et *ante* sanguinis *add. R, om. M.* 18 admissio] admotio *Rhod.* 22 euforbium *R.* 27 fricti *M*: frictum *R.* 33 sumitur *M*.

fauces perunguntur coguntur que inde quam plurimum devorare: solvit enim ventrem et ita vehementissime prodest. Item hoc medicamentum bene facit: multos enim a summo discrimine mortis liberavit: Hirundinum pullorum cineris pondo quadrans, hysopi pondo sextans, nitri pondo uncia, piperis pondo semuncia, laseris pondo semuncia; his tritis cretis mellis Attici quod satis erit admiscetur. Et hoc autem ut ceteris medicamentis saepius fauces et pressius fricare oportet.

Multis et hoc profuit medicamentum, quod est sine dubio efficacius et vehementius: Costi, apii, anesi, schoeni, casiae rufae, singulorum p. 𐆖 binum, git p. 𐆖 I, amomi victoriati pondus, zeae, quod est semen, p. 𐆖 II, aluminis fissi semuncia, gallae mediae magnitudinis numero V, croci p. 𐆖 II, crocomagmatis victoriati pondus, murrae victoriati pondus, aristolochiae Creticae p. 𐆖 IIII, cinnami p. 𐆖 III, hirundinum silvestrium pullorum cineris pondo uncia, nardi spicae victoriati pondus. Haec omnia sive contusa sive creta diligenter melle Attico despumato conprehenduntur. Cum autem opus fuerit, adicietur quod satis erit eiusdem mellis. Hoc Augusta semper conpositum habuit.

LXXI. Uvam supprimit diu iacentem sal ammoniacum, galla contusa aequis ponderibus. Eadem ratione aluminis fissi p. 𐆖 IIII, piperis albi p. 𐆖 I; quibus in unum mixtis coceario ter tacta resilit. Item herbae cyclamini suco per coclearium ter die tacta ac per triduum non solum resilit ac fit minima, sed etiam raro valde molestat.

Item ad uvae tumorem et tonsillarum siccum et efficax medicamentum: Gallae tusae pondo uncia, aeris floris pondo semuncia, menarum sine ovis quae sunt salsarum capita

sumetur *R.* 1 perunguntur *M*: perungentur *R.* 3 bene facit *huc transposui vocabulis* vehementissime prodest, *quae R post* medicamentum *repetit, deletis, post* liberavit *colloc. R.* 8 Et hoc autem caeteris *R*, Et hoc ut ceteris *Rhod.* Et hoc autem ut c. *scripsi.* 13 pondus *L*: p°. unius *R*, *item infra.* 16 aristolociae *L.* 18 pondus *M*: pondo *R.* 19 conprehenduntur *L*: comprehendantur *R.* 29 floris *ego*: flos *R.*

decem. Haec comburuntur et ita ceteris admiscentur cineribus et postea nihilo minus in unum diutius teruntur. Oportet autem digito humido tangere medicamentum et sic uvam ab imo rectam diutius supprimere sursum versus.

LXXII. Item aliud efficacius ad uvam diu iacentem: Cyperi siccatae bene pondo quadrans, murrae ƐS, croci siccati ante ƐI, sandaracae p. Ӿ I, aluminis fissi ƐS, aeris usti ƐS. Haec omnia in unum tunduntur, cribrantur ac digito melle mixto medicamentum sumitur et ita uva levatur ac tonsillae pressius fricantur per triduum aut si voles, digito mundo sine melle curabis.

LXXIII. Ad arteriam exasperatam simplicia quidem haec faciunt: Commis Alexandrina vel tragacanthum per se sub lingua retentum. Conpositio autem haec est: Papaveris silvatici iam maturi, viridis tamen adhuc capita quam plurima vase fictili coniciuntur aquaque superfunduntur, ut supernatet duobus tribusve digitis. Haec ubi triduo macerata fuerint, eodem vase coquuntur, donec demadescant; postea exprimuntur capita omnisque aquae percolatae prius diligenter mensura capitur, ad cuius modum mellis Attici quarta pars miscetur; deinde per duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. Hoc medicamentum et ad arteriae tumorem et ad tussim facit.

LXXIIII. Altera arteriace ad fluorem et raucitatem arteriae, item [ex ea] ad tussim et abscisum sonum vocis: Tragacanthi p. Ӿ VI, commis Alexandrinae p. Ӿ VI, murrae p. Ӿ I, turis p. Ӿ II, croci p. Ӿ I, piperis albi grana XX,

2 cineribus *quod non est in M suspectum.* 3 umidum *L.* 4 sursum versus *Rhod.*: sussum versos *L* sursum versum *R.* 6 Ɛ *Aldus hic et infra*: ɔ *R*; *qua nota scripulum an sicilicum significare voluerit non constat.* 7 ƐI *scripsi*: ɔΓ *R.* 8 in unum tunduntur] intunduntur *Aldus.* 14 *Quod Ruellius existimavit post* haec est *compositionem intercidisse, erravit. ante* papaveris *exhibet R* ad tumorem arteriae, *quae verba ut e lemmate orta expunxi.* 16 vaso *L.* coiciuntur *L.* 18 vaso *L.* 19 capita *om. M nescio an recte.* 25 ex ea *inclusi,* et *coniec. Rhod.* abscissum *R.* 26 gummis acanthini *M.* murrae (*sic*) *L.*

cariotarum recentium trium pulpas medias detracta exteriore cute interioribusque venis vel uvae passae novae et incorruptae purgatis interioribus granis p. 𐆖 VIII. Commis et tragacanthum passo Cretico uno die et una nocte macerari oportet et postero die pila et pilo mundo contundere et cetera trita mortario curiose admiscere, inde dare fabae magnitudine globulum sub lingua tenere devorantem quod liquefactum fuerit. Hoc medicamentum pipere detracto et ad tumorem arteriae facit, servandum autem puxide buxea.

LXXV. Arteriace, qua melior non est, refertur autem ad Asclepiaden nostrum, facit ad omnia superius dicta efficacius et quidquid in arteria vitii est. Constat ex his: Murrae optimae pinguis p. 𐆖 XXIIII, tragacanthi candidi p. 𐆖 XXVIII, glycyrrhizae radicis p. 𐆖 XVIII, resinae terebinthinae verae p. 𐆖 XVIII. Tragacanthum sicut est contundere et per cribrum tenuibus foraminibus eicere oportet; deinde murram tritam seorsum admiscere et rursus utraque in unum diu terere atque ita in pilam conicere et ibi cum concaluerint ictu pili, terebinthinam paulatim miscere, donec omnium unitas fiat. Postea glycyrrhizam contusam et cribratam mortarioque nihilo minus tritam sensim aspergere oportet. Ubi haec bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant et pilulas faciant magnitudinis fabae. Fit enim durissima haec arteriace et hoc ipso praecedit ceteras, quia linguae subiecta non facile solvitur et ita diutius exhibet suum effectum.

LXXVI. Ad suspirium facit bene inter simplicia quidem acetum scillites quod vocant cocleario ter quaterve sumptum in die. Prodest et ipsa scilla, argilla circumdata et furno cocta purgatis exterioribus putaminibus, et

3 p. 𐆖 VIII *scripsi cum M*: p°. VIII *R*. 7 magnitudine *Rhod.*: magnitudinem *R*. 8 quod *M*: quoad *R*. 10 pyxide *L Stephanus*. 12 ad Asclepiaden nostrum *scripsi*: ab Asclepiade nostro *R* in Asclepiaden *L*. 13 quidquid *L*: quicquid *R*. his] *cf. Gal.* XIII, 51. 20 coici *L*. 28 facit *M*: faciunt *R*. 29 cocliario *L*.

quod tenerrimum est eius, mellis Attici duabus partibus admixtum et tritum bene, cocleario semel in die bisve sumptum. Profuit multis pulmo vulpis in olla fictili ad cinerem redactus et datus mensura coclearioram trium cum aquae calidae cyathis tribus, item pulmo cervi eodem modo factus et datus.

LXXVII. Prodest et hoc medicamentum evidenter: Aluminis fissi p. X VI, opii p. X I. Aqua exigua opium diluitur, miscetur alumini ante trito; fiunt globuli ciceris amplitudinis, dantur ieiuno ante cibum quaterni aut quini. Hoc medicamentum et ad sanguinis eruptionem ex interioribus partibus facit et ad veterem tussim et ad phthisicos vel alios, qui purulenta excreant.

LXXVIII. Hoc quoque medicamentum ad suspirium satis commode proficit: Sulphuris vivi p. X I, nitri p. X S, abrotani quod tribus digitis conprehendi possit. Haec contunduntur et teruntur curiose. Cum opus est, dantur ex his coclearia duo cum duobus cyathis aceti calidi ieiuno.

LXXVIIII. Aliud medicamentum ad suspirium efficax valde, facit autem et ad lumborum diutinum dolorem et ad paralysin et ⟨ad⟩ hydropicos ⟨et ad⟩ lienosos: Bryoniae, id est albae vitis, radicis p. X XII, iris Illyricae p. X XII, ammoniaci guttae p. X XII, asparagi radicis p. X VI, scillae bulbi crudi ex interiore parte p. X XII, tragacanthi p. X VI. Mel miscetur contusis et tritis, donec cerae mollis habeat temperaturam. Inde, cum opus est, datur p. X I cum aquae mulsae cyathis tribus vel quattuor.

LXXX. Ad strumas bene facit radix cucumeris silvatici cocta ex aqua mulsa et trita atque ita inposita, item ebiscum eodem modo factum. Sed melius marini lepores

1 mellis Attici duabus partibus *M*: mellis duabus partibus Attici *R*. 4 cocliariorum *L*. 15 sulpuris *L*. nitri p. X selibra *R*, *corr. Rhod.* 16 abrotani (*sic*) *RL*. 18 cocliaria *L*. 21 paralysen *L*. et ad hydropicos et ad lienosos *M*: et hydropicos, lienosos *R*. bruoniae *L*. 23 hammoniaci *L*. 26 habeant *M*. 27 aquae mulsae *M*: aqua mulsa *R*. 30 hebiscum *L*.

oleo vetere necati faciunt in plumbea puxide clusi, quam diebus quadraginta diligenter alligatam oportet habere. Postea ex ea pinna oblinendae sunt strumae superque eas pellis lanata non nimium tonsa tegendi gratia inponenda est. Praecipere autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet aut inquinatas, priusquam laverit, ad os referat.

LXXXI. Ad strumas et ad duritias mammarum mirifice facit, antequam suppurent et post suppurationem nihilo minus, hoc medicamentum: Olei veteris pondo dua, spumae argenteae pondo libra, gallae Syriacae pondo triens, mannae turis pondo uncia, galbani pondo uncia. Cum oleo coquitur spuma, donec cerati spissi habeat temperamentum, deinde admiscetur ei galla et secundum hanc manna. Cum emplastri habet spissitudinem, tollitur ab igne medicamentum et cum desinet fervere, paulatim galbanum miscetur per minutas partes; linitur aluta, cum opus est. Hoc medicamentum solvitur tertio quartove die, si non suppuraverint strumae; sed si apertae fuerint, hieme alternis, aestate cotidie.

LXXXII. Malagma ad strumas et omnem duritiem mirificum, item ad mammarum muliebrium duritiam et ad paniculas et ad tubera et cetera, quae subito adnascuntur, recipit haec: Resinae terebinthinae pondo dua, cerae pondo semissem, propolis, quam quidam ceram sacram vocant, pondo sescunciam, galbani pondo sextantem, olei veteris pondo selibram. Haec omnia oleo ad ignem liquefacere oportet et postea miscere visci de quercu pondo quadrantem, ammoniaci guttae pondo quadrantem, ebisci radicis aridae pondo quadrantem, cypiri radicis, quem nos gladiolum appellamus, pondo sextantem, faeculae pondo trientem, aphronitri pondo quadrantem, Assii lapidis florum pondo quadrantem, opopanacis pondo sextantem. Haec

1 pyxide *L.* 2 diebus XL *L.* 3 ex eo *M.* 10 duo *Aldus.* 17 *post* miscetur *interpunxit R, ego post* partes. 21 strumas *M*: strumam *R.* 22 item *Rhod.*: idem *R.* 31 faeculae *M*: ferulae *R.* 32 afronitri *L.* Asii *R.*

omnia ordine, quo scripta sunt, cribrata in caccabum coniciuntur, opopanax oleo diluitur. Ubi temperatum est medicamentum, manibus subigitur; linitur, cum opus est, aluta.

LXXXIII. Ad sanguinis eruptionem sive ex arteriis sive a pulmone vel pectore ea fuerit, bene facit symphyti radix, quam quidam inulam rusticam vocant, quidam autem alum Gallicum dicunt, lota aqua frigida et rasa cultello eburneo vel osseo pondere sextantis aut plus, id est, quantum poterit manducare et devorare: neque enim amara est. Oportet autem eodem die acetum non gustare, quod interdum per se magnifice solet prodesse, sed huius radicis effectum resolvit. Item bene facit polygonii sucus cyathorum duorum aut trium per triduum repetitus et plantaginis et solani eodem modo sucus. Prodest et cretae Samiae p. Ӿ I sumptum ex aquae frigidae rigore detracto cyathis tribus. Prodest et herbae, quam πόλιον vocant, nos ut opinor tiniariam, fasciculus, quantum manu conprehendi potest, in tribus heminis aquae decoctus et ad tertias redactus, si quis inde cyathos tres dederit per triduum.

LXXXIIII. Oportet autem extra sentienti vulnus eo loco spongeam ex aqua recenti inponere vel ex aceto acri ac frequenter mutare, ne concalefacta noceat, et vetare artus constringere, quod plerique medicorum faciunt ignorantes, quod incitatur sanguinis eruptio musculorum conpressione, quandoquidem omnis constrictio in utramque partem exiget aeque subiectam materiam, sicut utrem si quis medium laqueo constrinxerit, animadvertet in utramque partem excludere subiectum liquorem et si superforatus casu fuerit, incitatione eiaculabitur quod in eo erit. Eadem ergo ratione cum sanguis eruptus est, qui

1 caccabum *L*: cacabum *R*. 5 arteria *M*. 6 a] e *Boettiger* ex *M*. 9 pondere *scripsi*: p°. *R*. 13 polygoni *M*. 14 duum *M*. 15 *post* Prodest *interpunxit R*. 18 quantus *M*. 20 redactus] redactis *Rhod., at cf. Plin. nat. hist.* 26, 54: hysopi manipulus decoctus ad tertias. 21 extra] interius *M*. 22 sfongeam *L*: spongiam.

constringunt vi magna artus, exprimentes sanguinem venis subiectum, cogunt magis erumpi per vulnus. Huius rei argumentum est, si quis super laqueum percusserit venam in brachio, quae est animalis, animadvertet aeque incitari sanguinem ex ea parte, quam ex inferiore loco cum percussa est vena. Et hoc per se quidem si non viderant medici, merito essent culpandi, quod neglegentes in ancipiti casu hominum essent, cum praesertim Asclepiades etiam pluribus usus sit argumentis in hac re, neque ei quisquam contradixit. Quis enim adversus veritatem hiscere potest? Proinde magis sunt custodiendi, qui pollicentur salutis custodiam unius cuiusque se facturos; tam inertes autem et neglegentes necessaria quidem ad conservandam vitam humanam, quae per aliorum laborem reperta sunt, studeant scire. Merito itaque manifeste quidam iugulantur genere quodam incitata eruptione sanguinis ab eiusmodi hominum imprudentia. Et, o bone deus, hi sunt ipsi, qui imputant suam culpam medicamentis quasi nihil proficientibus. Sed ad propositum revertemur.

LXXXV. Faciunt et conposita medicamenta ad sanguinis eruptionem, quorum et hoc est: Acaciae suci pondo uncia, hypocistidos, qui est sucus rosae silvaticae, quam caninam quidam vocant, pondo uncia, balausti, quod est flos mali granati, quo coriarii utuntur, pondo uncia, opi pondo semuncia. Balaustium contunditur, cribratur, siccum mortario teritur. Cetera pridie macerata in aqua commiscentur diligenter et pastilli finguntur, quidam pondere X I, quidam victoriati. Dantur ad aetatem cuiusque ex aquae frigidae remissae cyathis tribus aut duobus. Atque ille quidem pastillus bene facit ⟨et⟩ ad dysintericos, id est torminosos.

19 *an* revertamur? 20 et *M*: enim *R* etiam *Rhod.* 22 uncia *M*: unciae *R, item infra.* 23 balausti *L*: balaustium *R.* 24 uncia *M*: unciae *R.* opi *L*: opii *R.* 25 semuncia *M*: semunciae *R.* cribratur *M*: siccatur *R.* siccum *M*: sicco *R.* 27 diligenter et *M*: et diligenter *R.* pondere *scripsi*: p°. *R.* 28 victoriati *Rhod.*: victoriati denarii *R.* 30 et *om. R, recepi e M.* disintericos *L* dysentericos *R.*

LXXXVI. Alter pastillus ad sanguinis eruptionem mirifice faciens: Tragacanthi p. Ӿ VIIII, Samiae cretae p. Ӿ VII, cerae Ponticae p. Ӿ VIIII, glycyrrhizae suci [est autem radix dulcis] p. Ӿ V, symphyti suci p. Ӿ XII, commis p. Ӿ IIII, hypocistidos suci p. Ӿ VII, turis p. Ӿ V, aluminis liquidi p. Ӿ II, opii p. Ӿ V, amuli p. Ӿ VI, murrae p. Ӿ V, croci p. Ӿ VII, plantaginis suci p. Ӿ III; passi meconi quod satis erit miscebitur, fiunt pastilli, alii pondere Ӿ I, alii victoriati. Dabuntur ex aquae tepentis cyathis duobus et dimidio.

LXXXVII. Catapotium, id est medicamentum, quod non diluitur, sed ita ut est devoratur, ad tussim, quae cum fluore est: Croci pondo uncia, murrae pondo sextans, opi pondo quadrans. Contunditur crocum, percribratur; contusae murrae opium admiscetur aqua exigua dilutum. Postea adicitur crocum et cum in unum bene mixta sunt, finguntur pilulae ervi magnitudinis; dantur in noctem ternae vel quaternae.

LXXXVIII. Catapotium alterum ad tussim aridam: Murrae, piperis, castorei, galbani, storacis, opii, singulorum idem ponderis. Castoreum et piper contunduntur et cribrantur, deinde murra ante trita ceteris contusis aeque admiscetur. Ubi omnium unitas mortario facta est, melle despumato medicamentum conprehenditur, deinde formantur pilulae viciae magnitudinis; dantur ternae vel quaternae in noctem.

LXXXVIIII. Aliud catapotium ad tussim veterem, suspirium, [et] phthisi temptatos, lienem et iecur durum habentes; idem inflationem tollit et purgat mulierem, si qua

3 rutae *pro* cerae *M.* clycerizae *L.* 4 *verba inclusa interpretis esse videntur.* 5 hypocistidos *L*: ὑποκιστίδος *R.* 6 amyli *R.* 8 miconi *L* meconii *R.* fiant *L.* 9 pondere *scripsi*: p°. *R.* 13 uncia *scripsi*: unciae *R.* sextans *ego*: sextantis *R.* 14 opi *L*: opii *R.* quadrans *scripsi*: quadrantis *R.* 17 noctem *M*: nocte *R.* 20 storachis *L.* 22 myrrha a. trita *M*: myrrhae a. tritae *R.* 23 admiscetur *M*: admiscentur *R.* 28 suspirio *M* et *inclusi.*

ex partu substiterunt: Styracis p. X̄ VI, murrae p. X̄ II et victoriati, opopanacis p. X̄ II, iris Illyricae p. X̄ II, galbani p. X̄ II, resinae terebinthinae p. X̄ V, alterci seminis p. X̄ I, nitri p. X̄ I, piperis albi p. X̄ I, opi p. X̄ I. Irim, altercum, piper contundere oportet et cribrare, nitrum mortario terere et cetera pilo commiscere et postea haec eis adicere atque facere catapotia magnitudinis fabae, inde terna vel quaterna in noctem dare ad inflationes in ipsa distentione cum aquae calidae cyathis tribus.

LXXXX. Pastillus ad tussim, destillationem pectoris ⟨et⟩ pulmonis, ad epiphoras oculorum, vesicae dolorem, qui cum fluore consistit, ubi saepius et non sine cruciatu urinam faciunt, item ad eos, qui sanguinem reiciunt aut per urinam reddunt, ad deiectionem, tormina, gravedinem, choleram, stomachi crebram nauseam cum vomitu sine febre, et quidquid reprimere et siccare oportet, optime conpescit; praeterea facit ad omnis partis corporis dolorem praeter capitis; quin etiam si quando aliquis hoc fuerit inunctus, † alii vitio non erit dandum hoc medicamentum. Cum autem ad omnia, quae supra dixi, manifeste prosit, tum praecipue ad phthisim initia habentem bene facit: multos enim eripuit ex magno periculo interdum bis terve datus hic pastillus; recipit haec: Murrae troglodytis p. X̄ VI, croci p. X̄ V, opii p. X̄ IIII, turis p. X̄ V, alterci albi seminis p. X̄ IIII, Apollinaris herbae radicis corticis p. X̄ IIII. Contunditur hic cortex per se et cribratur tenui cribro, deinde crocum, postea altercum,

4 opi *L*: opii *R*. 6 comminuere *M*. 11 et pulmonis *M*: pulmones *R*. 14 gravidinem ventris *L*. 16 febri *L*. quidquid *L*: quicquid *R*. 18 praeter *M*: praeterea *R* praesertim *Rhod.* 19 alii vitio] *locus graviter corruptus, ad quem emendandum Marcellus nihil praestat subsidii*; *quae enim hic habet*: quin etiam si quando alicuius rei causa datum fuerit, aliae rei vitio non erit hoc medicamentum *non minus corrupta esse videntur.* 21 ad phthisim initia habentem *scripsi*: ad initia phthisim habentes *R* ad initia phthiseos *Cornarius*; *cf. c.* 206 parotidas initia habentes. 23 myrrae troclodytydos *L*; *cf. c.* 94. 26 haec cortix *L*.

murra, tus, quibus miscetur opium pridie aqua maceratum; subinde aquae exiguum adicitur, donec fingi pastilli possint pondere victoriati, alii tertia huius ponderis detracta. Dantur in noctem ex aquae cyathis tribus. Somnum faciunt, dolorem sedant, ut superius dixi. Oportet autem ex eo etiam catapotia facere: quidam enim facilius ea quam potionem sumunt, verum non multum interest.

LXXXXI. Ad eadem remissior quidem pastillus, sed non contemnendus: Croci, murrae, alterci, opii pondera paria contusa miscentur despumato Attico melle; fiunt pastilli eiusdem ponderis. Dantur ad aetatem et vires in noctem. Licet et hinc catapotia facere propter eandem causam, sed tunc aqua, non mel adicitur.

LXXXXII. Pastillus ad tussim et sanguinem reicientes et stomachum solutum habentes, facit et ad deiectionem et vesicae dolorem: Apii seminis p. X VI, alterci seminis p. X XII, anethi p. X XII, opii p. X VI, croci p. X III, rosae foliorum arefactorum in umbra p. X XII, murrae p. X XII. Semina et crocum et folia rosae contunduntur, cribrantur, murra teritur, opium aqua maceratur, omnia in unum miscentur, aqua adiecta fiunt pastilli victoriati pondere, alii tertia parte detracta. Dantur ad stomachum inbecillum habentes et sanguinem reicientes ex aquae frigidae cyathis duobus, ceteris ex calidae totidem cyathis.

LXXXXIII. Pastillus ex odoribus bene facit ad omnem dolorem, proprie autem ad tussim, item ⟨ad⟩ pectoris destillationem et oculorum epiphoras, facit et ad suspirium et ad lateris dolorem et ad phthisicos et vesica renibusque laborantes vel sanguinem ad urinam reddentes cum dolore: Casiae, cinnami, croci, singulorum p. X III, alterci seminis, Apollinaris herbae radicis, singulorum p. X IIII,

3 p°. X victoriati *R*, X *delevi et* pondere *scripsi*. 10 melli *M*. 11 et vires *M*: eius tres *R*. 14 et ad sang. r. et ad stom. *M*. 16 apii seminis *M*: apii semen *R*. 22 pondere *scripsi*: p°. *R*. alii *scripsi*: aliis *R*. 23 imbicillum (*sic*) *L*: imbecillem *R*. aquae frigidae *M*: aqua frigida *R*. 24 calidae *M*: calida *R*. 26 ad *addidi*. 31 apolenaris *L*.

piperis p. X̶ II, opii p. X̶ IIII, turis p. X̶ III, nardi spicae p. X̶ II. Vino Falerno contusa et trita utraque, ut debent, consperguntur, fiunt pastilli victoriati pondere, alii parte tertia detracta. Dantur in noctem, prout vires sunt, cum aquae calidae cyathis duobus aut tribus.

LXXXXIIII. Medicamentum, quod per coclearium devoratur, bene facit ad tussim aridam et eos, qui difficulter glutinosa excreant et praefocari videntur interdum, sed praecipue ⟨prodest⟩ iis, qui lateris dolorem cum febre sentiunt, quos Graeci πλευριτικοὺς vocant: liberat enim eos ab omni periculo. Hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, praeceptoris Valentis et nostri, et numquam ulli se vivo conpositionem eius dedit, quod magnam opinionem ex ea traxerat. Est autem haec, quae conponitur tribus rebus his: Piperis nigri electi et ponderosi granis duobus, murrae troglodytidos p. X̶ II, mellis Attici despumati libra. Piper contunditur diligenter et cribratur, murra teritur mortario curiose et postea utraque in unum miscentur, deinde mel adicitur. Dantur coclearia quina vel sena, pleuriticis etiam plura saepius, sed cum intervallo dare oportet et maxime cum tussiunt aut praefocari videntur et difficulter spirant sive noctu sive interdiu: protinus enim excreant ea, quae obstant transitui spiritus, et tussire desinunt.

LXXXXV. Alterum medicamentum ad tussim aridam: Nasturci animati seminis pondo uncia, alterci seminis pondo uncia, opii pondo uncia, murrae pondo uncia, croci pondo semuncia, sulphuris vivi pondo semuncia, piperis albi pondo quadrans. Melle colligitur medicamentum, datur fabae Aegyptiae magnitudine ex cyathis aquae tribus in noctem. Facit autem hoc medicamentum ad lateris dolorem et ad stomachi inflationem, gravedinem, coeliacos,

3 pondere *ego*: p°. *R*. alii *scripsi*: et aliis *R*. 6 cocliarium *L*. 9 prodest *e M addidi*. 10 pleuriticos *L*. 16 trocloditidos *L*. 19 cocliaria *L*. 20 et saepius *M*. sed *M*: et *R*. 26 nastorci *L*: nasturcii *R*. 28 sulfuris *L*. 30 aquae calidae *M*. 32 gravidinemque *L*.

qui subito universa deiciunt; prodest et dolenti superpositum et circumdatum denti et si exesus est, in cavernam eius insertum. Tollit praeterea horrores febrem praecedentes, tum cum haec circuitum certum habet, datum ante horam, diutius corpore perfricato ex oleo calido. Prodest et illis, qui sine horrore circuitibus febrium vexantur; quamobrem ληξιπύρετος haec conpositio dicitur.

LXXXXVI. Aliud ad tussim aridam et glutinosa excreantes, purgat etiam interaneas vomicas, suppurationes: Lini seminis, urticae seminis, nasturci seminis, iris Illyricae radicis aequa pondera misceri oportet cum melle despumato quantum satis sit et frequenter coceario dare.

LXXXXVII. Ad lateris dolorem, sive cum febre sive sine febre fuerit, conpositio mirifica, non ignorata quidem ab antiquioribus propter effectus, sed praecipue a Paccio Antiocho auditore Philonidis Catinensis usu inlustrata: fecit enim magnos quaestus ex ea propter crebros successus in vitiis difficillimis. Sed ne hic quidem ulli se vivo conpositionem dedit; post mortem autem eius Tiberio Caesari per libellum scriptum ad eum ⟨data⟩ et bibliothecis publicis posita venit in manus nostras, quam antea nullo modo extrahere potuimus, quamvis omnia fecerimus, ut sciremus, quae esset. Ipse enim clusus conponebat nec ulli suorum committebat, plura etiam quam recipit ipsemet contundi iubebat pigmenta fallendi suos causa. Hanc postea nos scivimus, quam [ut] sane in libello ipse fatetur non a se inventam sed usu exactiore conprobatam, ad quae vitia et cum quibus et quemadmodum data proficeret. Est enim

1 dolenti *M*: dolentibus *R*. 3 insertum *M*: infertur *R*. 7 ληξιπύρετος *Rhod.*: lexipyreas *L* ἀλεξιπύρετος *R*. 10 nasturci *L*: nasturcii *R*. 11 cum *M*: et cum *R*. 12 *post* frequenter *R male repetit* oportet, *M non item*. 15 ab *om. M*. Paccio *M*: Pacchio *R*; *cf. Gal.* XIII, 284. 16 Philonidis *M*: Philenidis *R*; *cf. Gal.* VIII, 748. 20 ad eum *om. M*. data *addidi e M*. *pro* posita *coniec.* positum *Rhod.* 24 etiam *Rhod.*: enim *R*. 26 quam *scripsi*: quae *R*. ut *inclusi*. in *M*: et *R*. 27 inventam — conprobatam *ego ex M*: inventa — conprobata *R*. 28 Est enim *M*: Etenim *R*.

non ignota, ponderibus tamen antiquis aut adiecit aut detraxit et res, quae in hac conpositione sunt, non utique conveniunt ad antiquas. Interdum enim earum quaedam plures etiam numero accipiunt atque ideo non idem praestant, cum interim haec mirifica temperatura conposita mirificos effectus habeat.

LXXXXVIII. Facit vero hoc medicamentum non solum ad lateris dolorem, sed etiam ad plura vitia efficaciter; quamobrem semper habeo id conpositum. Percurram autem quam brevissime, ad quae vitia et qualiter datum prosit, ut etiam in libello eius scriptum est et ego magna ex parte iam expertus sum.

LXXXXVIIII. Sanat ergo morbo comitiali correptos, quos *ἐπιληπτικοὺς* Graeci vocant, furiosos, quos *μαινομένους* dicunt; item sanat quibus subitis tenebris obscurantur oculi cum vertigine, *σκοτωματικοὺς* hos Graeci appellant, nec minus diutino correptis capitis dolore, quem *κεφαλαίαν* appellant, prodest, data pondere X duum ex aquae mulsae cyathis quattuor, cum remissi fuerint; et si frequenter quidem corripiuntur, post binas ternasve accessiones danda erit antidotos hiera. Hoc nomen enim tribuit ei duas propter causas, ut existimo: unam, ne eius nomen verum dicendo ostenderet, quae esset — dicitur enim a quibusdam *πικρά*, quia amara est, a quibusdam *διὰ κολοκυνθίδος* — alteram, quo magis sub tanta specie nominis commendaret medicamentum. Sed si ex longo intervallo accessionibus vexabuntur, in remissione dolorum saepius dandum erit medicamentum: ita enim aut ex toto remedio est aut certe minuitur cotidie impetus vitiorum et sedatur intervallaque maiora accipit et hoc ipso opportuniores fiunt ad veratri potionem, qua maxime haec vitia tolluntur. Dare autem his oportet secundum purgationem, bis enim aut ter spumosa et glutinosa deiciunt, ptisanae

7 vero hoc *M*: hoc vero *R*. 16 vertigine quadam *M*, *ut c.* 184. 188. 17 correptis *M*: correptos *R*. 18 *κεφαλαίαν* *scripsi*: cephalaeam *M* *κεφαλαργίαν* *R*. pondere *ego*: p^o. *R*.

cremorem, holera lenia ex urtica, [et] lapatho, malva facta torpedine interdum admixta et cum exiguo pane, aquamque potui.

C. Facit bene haec conpositio ad suspirium et ad vocis abscisionem et subitas praefocationes ex qualibet causa ortas et ad eos, qui saepius existimantur ab incubone deludi; usque eo tamen vexantur, ut interdum vitae periculum adeant: est enim vitium non contemnendum, utique in processa aetate. Quibus dandum erit medicamentum proximo die eius noctis, qua correpti sunt, cum intervallum a somno fecerint et quod satis est ambulaverint, ex aquae hysopum aut marrubium incoctum habentis cyathis quattuor vel quinque pondere 𐆖 unius vel victoriati, prout res postulaverit; deinde post horas tres quattuorve cremor ptisanae detur.

CI. Facit hoc medicamentum et ad eos, quorum musculi maxillares cum maximo dolore tensi sunt adeo, ut aperire os nullo modo possint: τέτανον hoc vitium Graeci dicunt; item facit ad depravatam faciem in utramlibet partem: κυνικὸν σπασμὸν hoc idem appellant genus morbi; praecipue vero ad pectoris et lateris dolores prodest ex qualibet causa factos sive latente et occulta sive manifesta, ut ex ictu, casu, conatu aliquo supra vires vel ponderis supra modum portatione vel contusione, quae frequenter gladiatoribus accidere solet in luctationibus et eorum maxime sauciatis, nec minus arbore alta delapsis vel scalis devolutis, excussis a rheda vel curriculo atque ita tractis. Sed his, id est manifesta ex causa vexatis, cum aceti cyathis tribus quattuorve danda erit antidotos; illis vero, qui ex occulta causa laborant, ex aqua mulsa proderit. Praeterea nervorum tensionibus mirifice convenit. Quamobrem facit et ad tremulos et sideratione temptatos

1 et *inclusi*. 11 est] sit *M*. 13 pondere 𐆖 unius vel victoriati *scripsi*: 𐆖 p°. I vel unius et victoriati *R* ad pondus denarii unius vel victoriati *M*. 16 et *ante* hoc *colloc*. *R*, *ego huc transposui*. 20 iidem *M*. 25 *verba* et eorum maxime sauciatis *in suspicionem vocavit Rhod.*, *om. M*. 27 a *om. M*.

utralibet: una enim cum contractione, altera cum remissione nervorum conspicitur; παράλυσιν hoc utrumque vitium Graeci appellant. Ad quod etiam, cum correpti sunt, prodest ex aquae mulsae cyathis tribus quattuorve datum medicamentum pondere X̶ unius vel victoriati, admixto pondere victoriati castorei. Prodest et ad articularem morbum, quem ἀρθρῖτιν vocant, et ad spinae totius lumborumque dolorem ex aqua mulsa datum ad vires cuiusque. Item ad podagram bene facit; nam et in praesentia detractione ipsa levat et in futurum omni molestia liberat. Dimidio enim celerius sanantur, qui acceperunt medicamentum, quam prius solebant.

CII. Quid dicam duritias in mammis mulierum cum dolore consistentes, quas nullum medicamentum levat, quemadmodum ex toto in perpetuum interdum sanat, quas plerique medicorum insanabiles adfirmant καρκινώματα et κακοήθες appellantes? Poteram nominare honestas feminas, quas aut ille aut ego hoc medicamento sanavimus, nisi crederem fidem te habere nobis: alioquin ipse tibi iam dixissem.

CIII. Illud vero supra omnium opinionem est, quod ad stomachicos evidenter convenit, cum sit virosissimum medicamentum adversus stomachum ne ad lenia quidem et simplicia medicamenta apte dispositum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior usus ratione est: expertus enim unus quisque intellegit stomacho quoque hoc medicamentum eximie prodesse. CIIII. Remediat enim eos, quibus frequenter inacescit cibus, et eos, qui adsidue inflationibus urgentur vel dolore eius vexantur aut adsidue nauseant aut saliva abundant vel inedia consumuntur stomachumque ita solutum habent, ut ex eo varios liquores

1 cum contractione *M*: ex c. *R*. 5 pondere X̶ unius vel victoriati *scripsi*: X̶ p°. I vel unius et victoriati *R* ad pondus denarii unius aut victoriati *M*. 7 et ad spinae totius *M*: ad spinam et totius *R*. 8 datum *M*: datur *R*. 17 κακοήθη *Stephanus* cacoethes *M* κακοήθεις *ad* duritias *relatum Rhod.* 26 intelleget *M*. 28 stomachi inflationibus *M*.

subinde respuant consentiente capite, ut nullum genus cibi continere possint. Item ad bilem atram generantes, quos μελαγχολικοὺς appellant, bene facit. Oportet autem non continentibus cibos secundum vomitum protinus oleo perunctis et diutius presse fricatis dare medicamentum pondere X̶ I ex aquae cyathis tribus, deinde artus constringere et interdum olfactoriis reficere et commanducatione olivarum contusarum earumque rerum, quae stomachum constringere solent, interim subrectos, recubantes, deinde cum deiecerint, solutis vinculis rursus perunguere et fricare totum corpus atque ita varietate apta ciborum stomachum proritare, ut halica ex mulso ⟨et⟩ malorum Cydoneorum suco facto vel ex granatorum per se malorum vel si quos magis delectat, ex frigida posca; secundum quae apala ova proderunt et intubi cocti vel crudi ex aceto, item lactucae caules cum foliis ex posca decocti, conchula marina, purpurae, murices, pelorides, volva; pomorum sorba, mala orbiculata, Scaudiana, pira Crustumina, Signina olla reposita, item uvae ex olla. Haec enim et huiusmodi quae sunt confirmant stomachum, quibus et insequentibus diebus uti oportebit paulatim ad consuetudinem progredientes, donec prope omni molestia aegri liberentur.

CV. Est stomachi vitium, quod cum siccitate et ardore eius et inrequiebili, ut ita dicam, et inextinguibili siti consistit: ἔγκαυσιν Graeci vocant ab eo, quod exsiccat omnem stomachi humorem. Scimus quosdam urnas aquae bibisse neque ideo sitim aliqua ex parte in praesentia conpescuisse. Ad hoc p. X̶ I vel victoriati datum ex aquae

6 pondere *scripsi*: p°. *R.* 7 olfactariis *RM.* 9 suberectos recubantesque *M.* 12 et *addidi*, aut *M.* 13 Cydoneorum *M*: Cydoniorum *R.* *an* facta? 17 volema *Ruellius in calce editionis* volua *in contextu* vulva *M* volema *post* pira *collocabat Rhod.*; *sed de suis vulva stomacho aptissima cf. Cels.* 2, 24. 18 Scaudiana *scripsi*: scandiana *M* scauriana *M.* 19 Signina *M*: Segnina *R.* 22 progredientes *M*: progredientem *R.* aegri *om. M.* 26 eccausin *M*: ἄτονον *R.* 29 aquae frigidae cyath. duobus *M*: aquae cyath. duobus frigidae *R*; *cf.*

frigidae cyathis duobus ita prodest, ut facile abstinere ab aqua proximis diebus possint. Lienosis vero ex posca et iocineris duritiam habentibus diutinam ex aqua mulsa satis convenit nec minus hydropicis, quibus datur eadem ratione; sed his per conplures dies oportebit ptisanae cremorem sine ullo liquore dari.

CVI. Prodest conpositio haec et colo inflato et ceteris intestinis. Futuras quoque vel iam factas vomicas iisdem partibus aut discutit aut celerius aperit; item menstrua movet mulieribus, quae difficulter purgantur. Dandum autem erit his ex aqua medicamentum, in qua decoquitur herba, quae artemisia dicitur aut quam *δίκταμνον* appellant. Etiam ad papulas et sacrum ignem vel quam zonam vocant bene facit ex aqua mulsa detracto prius sanguine, si res postulaverit, ut et in aliis omnibus superius dictis faciendum est. Omnia enim auxilia adhibenda sunt, quae ex usu prodesse eis comperta habemus, quia facilius adiuta antidotos adiuvabit et effectus exhibebit. Recipit autem haec: Stoechados, marrubii, *χαμαίδρυος*, quae herba similia quercus folia habet, agarici, cucurbitulae silvestris, quam *κολοκυνθίδα* appellant, singulorum p. X̶ X, opopanacis, sagapeni, petroselini, terrae mali, piperis albi, singulorum p. X̶ V, cinnami, nardi spicae, murrae, folii, croci, singulorum p. X̶ IIII. In unum omnia ponderata contunduntur et cribrantur, praeter opopanacem et sagapenum: haec enim mortario teruntur adiecto melle tenui, id est quam liquidissimo; deinde ceteris miscentur, quae et ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad conprehendenda et continenda ea. Reponitur medicamentum vaso vitreo. Datur, ut supra diximus, ad cuiusque vires et est prorsus sacrum, ut auctor huius nominis appellat.

CVII. Si quando autem efficaciore eo voluerimus uti propter difficultatem naturalem vitiorum aut diuturnitatem,

c. 108 *s. f.* 3 iocineris *M*: iocinerosis *R*; *cf. c.* 89. 11 in qua *M*: in aqua *R*. 19 Stoecados *R*. 20 quercu *M*. 25 praeter *M*: praeterea *R*. opopanacem *M*: opopanaces *R*; *at cf. c.* 262. 31 appellavit *M*.

ut in furiosis aut comitiali morbo correptis vel lumborum perpetuum dolorem habentibus, podagra correptis vastius, cucurbitae silvestris adicimus ad superius dicta pondera p. 𐆖 XX, opopanacis atque sagapeni, singulorum p. 𐆖 III. Quamobrem utraque parata debent esse medicamenta, ut, cum opus fuerit, usus alterutrius in promptu sit. Illud utique credas interim velim mihi, dum in aliis expertus persuadeam, hoc medicamentum non solum non nocere stomacho, verum etiam reficere et confirmare eum supra omnium opinionem.

CVIII. Medicamentum, quod proprie adversus solutionem stomachi facit et fluorem eiusdem, maxime vero cum nihil cibi retinere possunt, sed quidquid datum est, reiciunt: Mastiches Chiae candidae pondo libra, tragacanthi albi pondo libra, Apollinaris herbae radicis uncia. Contunditur tragacanthum cum radice, postea mastiche adicitur. Reponitur in vitreo vaso. Dantur, cum opus est, coclearia tria secundum vomitum per se factum ex aquae frigidae cyathis tribus.

CVIIII. Ad stomachi dolorem et inflationem: Palmarum p. 𐆖 XL, anethi p. 𐆖 IIII, croci p. 𐆖 II, git p. 𐆖 II, asari p. 𐆖 II, murti nigrae bacarum p. 𐆖 IIII, iuniperi grana numero viginti. Contunduntur seorsum omnia et in unum miscentur; deinde fiunt pastilli pondere 𐆖 I, alii victoriati. Dantur ieiuno ex aquae cyathis quattuor aut ex Cretico musto, quod est passi genus.

CX. Medicamentum siccum ad stomachi inflationem et dolorem et inediam; movet urinam ideoque facit et ad hydropicos et iecur durum habentes, ⟨et ad⟩ auruginem, quam quidam regium, quidam arquatum morbum vocant; refertur in Musam Antonium. Recipit autem haec: Aloes pondo assis trientem, croci, cinnami, nardi Syriacae

3 adiciemus *M.* 7 dum in aliis rebus ipse vim eius experiris *M.* 10 omnium *M*: omnem *R.* 13 quicquid *R.* 22 asari *M*: et asari *R.* 24 pondere *scripsi*: p°. *R.* alii *M*: aliis *R.* 26 Cretico] protropo *M.* 28 movet et *M.* 29 et ad *addidi e M.* auriginem *R.*

spicae, asari, xylobalsami, mastiches Chiae, singulorum p. X VI. Tunditur et vitro reponitur. Dantur coclearia duo vel tria ex aquae cyathis tribus.

CXI. Ad coeliacos, id est, qui subito et multa deiciunt, item et ad alvum citatam et interdum levia tormina: Sorborum aridorum contusorum sextarius unus, rhus Syriaci, quo coci utuntur, sextarii duo, mala granata recentia decem, item mala Cydonea decem. Haec utraque coniciuntur in sapam factam ex musti adhuc in dolio ferventis sextariis triginta sex ad duodecim sextarios decoctam, donec malorum coria percoquantur, ut sint madida; deinde teruntur haec fictili mortario, ut grana comminuantur [quibus deinde Cydonia admiscentur et aeque teruntur]. Postea rhus et sorba arida admiscentur cribrata curiose sapae, quae residua est, et omnibus in unum bene coactis reponitur medicamentum in vitreo vase. Dantur autem inde ieiunis in diem ligulae binae vel ternae per se.

CXII. Sin autem gravior morbus insedit, hic datur pastillus ad coeliacos et torminosos optime faciens: Balausti, hypocistidos, ⟨opi⟩ pridie aqua macerati pondo sextans, alterci seminis, cretae Samiae, singulorum pondo uncia; vino myrtite adiecto fiunt pastilli pondere X unius aut victoriati. Dantur ieiuno sine febre ex vino myrtite aut Signino, cyatho uno cum duobus aquae mixto, febricitantibus ex aquae cyathis tribus. Hic etiam incitata libidine ipsius morbi [pastillus, sive plures] dilutus aqua calida, vino, oleo per clysterem inmittitur; statim somnus

5 et ad levia interdum *M.* lenia *R.* 6 S II *L.* 7 quo coci utuntur *M*: coquuntur *R.* 8 cidonea *L*: cydonia *R.* cocuntur in sapa facta *L.* 12 *verba* quibus deinde Cydonia admiscentur et aeque teruntur *quae M omisit tamquam aliena uncis circumscripsi.* 13 rhus *M*: rursus *R.* 16 vaso *M.* 19 *initium huius compositionis integrum non est*; *M enim habet*: acaciae, balausti, hypocystidos, opii singulorum denarios quinos. balausti *L*: balaustii *R.* 20 hypocystidos *L.* opi *addidi.* 22 pondere *scripsi*: p°. *R.* 25 Hic *scripsi*: Hoc *RM.* 26 pastillus sive plures *om. M*, *inclusi.* dilutus *ego*: diluti *R.* 27 clysterium *M.*

consequitur, quotiens desurrexerint torminosi, qui graviter adflicti sunt, et utique prodest.

CXIII. Alius pastillus ad torminosos efficacior: Acaciae p. X IIII, croci p. X II, gallae p. X VIII, hypocistidis p. X IIII, lycii p. X IIII, murrae p. X IIII, rhus, quo coci utuntur, nardi spicae Syriacae, aloes, singulorum p. X II, anesi, commis, singulorum p. X IIII, piperis nigri p. X II. Tunduntur, teruntur, cribrantur ex suco cauliculorum rubi vel ex vino Signino collyrii tritura. Cum fuerint haec levia, ut ungui nulla pareat aspritudo, finguntur pastilli pondere X I, alii pondere victoriati. Datur unus ieiuno ante meridiem, alter in noctem ex aqua, si febres erunt: ex vino Signino, si sincere corpus erit. Hoc efficax est medicamentum et si cetera, quae debent, sentiente eius valetudine recte adhibita fuerint, utique sanat.

CXIIII. Pastillus item, qui clysterio inmittitur torminosis per anum, cum sordida et sanguinulenta deiciunt, id est cum intestina eorum cancer occupavit; quo quasi cauterio tunc tantummodo uti oportet, alioqui nocet, ideoque a quibusdam ignorantibus eius usus accusatur quasi nocuus. Recipit autem haec: Chartae conbustae cineris p. X XXX, calcis vivae p. X XXIIII, ἀρσενικοῦ, quod est auripigmentum, p. X XII, sandaracae p. X VI. Haec trita vino consperguntur, in quo rosa et lentes prius incoquuntur, ut possint fieri pastilli pondere X duum aut unius. Cum opus est, teritur unus pastillus et inmittitur per aquam decoctam rosam et lentem habentem, si febricitabunt: sin minus, ex vino eadem incocta habente. Facit

1 quotiens *L*: quoties *R*. 4 hypocystidos *L* hypocystidis *R*. 5 rus *R*. coqui *R*. 9 collyria formantur ritu eorum, quae ad oculos fiunt *M*. 10 levia *scripsi*: lenia *R*. ut *M*: aut *R*. pareat *L*: appareat *Cornarius* pateat *R*. 11 pondere *ego*: p°. *R*. alii *scripsi*: aliis *R*. pondere *scripsi*: pondo *R*. 14 consentiente *Rhod.* 15 sanat *scripsi*: sanant *R*. 16 item *om. M. et R in indice.* inmittitur *L*: imm. *R*. 17 sanguinulenta *L*: sanguinolenta *R*. deiciunt *M*: eiciunt *R*. 21 nociuus *L*. conbustae *L*: comb. *R*. 22 arrenici *L*. 25 pondere *ego*: p°. *R*. 26 inmittitur *L*: imm. *R*.

et murti fasciculus cum oleastri vel olivae ramulis utroque modo, prout res exegerit, incoctus.

CXV. Potio autem, [id est pastillus] cum inmissum fuerit medicamentum, sic convenit in noctem: Murrae p. X II, lycii p. X III, turis p. X I, opi p. X II, aloes p. X II, acaciae p. X IIII, murti bacarum nigrarum p. X XVI, ovorum ex aceto coctorum vitelli duo. Haec trita vino Surrentino consperguntur et fiunt pastilli pondere X I. Dantur febricitantibus ex aquae cyathis quattuor, ⟨sine febre⟩ ex musti Surrentini cyathis duobus.

CXVI. Ad εἰλεόν, quod vitium est inflatio tenuium intestinorum, facit bene galbani pondus victoriati; devoratur in pilulas divisum duas vel tres. Movet et ructum et interdum deicit ventum deorsum atque ita prodest.

CXVII. Ad idem vitium mirifice prodest hoc medicamentum; facit autem ⟨et⟩ ad lateris dolorem et ad omnem partem corporis: Dauci seminis, panacis radicis, castorei paria pondera, rutae silvaticae dimidium; tritis vel contusis mel decoctum adicere oportet, inde dare p. X I aut victoriati ex aquae caldae cyathis tribus.

CXVIII. Facit et ad huiusmodi per anum inmissum faenum graecum; id aqua bene coquere oportet atque inde sumere heminam; item in oleo domestico incoquere rutam quam plurimam et hinc caldam heminam adicere priori aquae, quibus utrisque admiscere aphronitri triti sescunciam et ita per clysteria caldam inmittere. Hoc ego iam stercus per os eicientem, quod signum mortiferum est,

1 utroque modo *M*: utrorumque modo *R*. 2 exegerit *M*: exigeret *R*. 3 *verba* id est pastillus *glossema esse vidit Rhod.* inmissum *L*: immissus *R*. 4 haec *pro* sic *M*. 5 opi *L*: opii *R*. 6 myrtae *L*. 8 pondere *ego*: p°. *R*. 10 sine febre ex musti Surrentini *M*: permixti Surrentini vini *R*; *an legendum*: sine febre ex aquae cyathis II permixtis Surrentini vini cyathis duobus? 11 ileon *L*. 12 pondus *scripsi*: pondo *R*. 13 et] enim *L*. 16 et *addidi e L, om. R*. 17 corporis interioris, accipit haec *L*. 21 *an* huiusmodi vitium? 22 faenum *L*: foenum *R*. 25 admisceri convenit *L*. 26 per clistere *L*. 27 eicientem *L*: deicientem *R*. signum *L*

sanavi unguentarii cuiusdam servum. Est autem vitium εἰλεὸς periculosissimum et ideo inter praecipua refertur. Quamobrem non utique cum magna fiducia ad hoc genus vitii adgredi debemus.

CXVIIII. Ad coli inflationem bene facit cumini silvatici semen per se, ut est, datum, quantum coclearia tria, in aquae caldae cyathis quattuor.

CXX. Nam Cassi medici colice bona, multis nota propter effectus, vera haec est, ut ab eius servo Atimeto accepi, legato Tiberi Caesaris, quia is eam solitus erat ei conponere: Apii seminis pondo selibram, anesi pondo quadrantem, castorei pondo sextantem, murrae pondo quadrantem, spicae nardi Indicae pondo sextantem, opii pondo quadrantem, croci pondo sescunciam, piperis longi pondo sextantem, piperis nigri pondo semunciam, petroselini pondo sextantem, schoeni pondo sescunciam. Haec omnia contusa, cribrata, melle Attico decocto miscentur. Datur ex hoc medicamento, quantum nux avellana media patet, ex aquae calidae cyathis tribus. In ipsis doloribus statim prodest. Item facit medicamentum cerati ex malobathro [ex] duabus partibus et cerae uni mixtum et extra inpositum in ventrem totum. Praeterea bene facit et ad stomachi inflationem et ad suspirium et ad iocineris dolorem, tussim, destillationem.

CXXI. Colice mirifica Iulii Bassi cito levat, deinde

Rhod.: si non *R.* 2 ileos *L.* 4 adgredi *L*: aggredi *R.* 8 Cassi *L*: Cassii *R*; *cf. Gal.* XIII, 276. 9 Admeto *L.* 10 legato] liberto *Pignorius* legato (*sc. testamento*) Tiberio Caesari *Lipsius* ex legato *Buecheler.* Tiberi *L*: Tiberii *R.* qui eam solitus erat componere sic *L.* 15 piperis nigri pondo sextantem semunciam *R*, semunciam *del. Rhod.*, *ego* sextantem, *L enim* semunciam *praestat.* 17 decocto *L*: decocta *R.* 18 avellana *L*: abellana *R.* media patet *om. L.* 19 calidae *transposuit Rhod.*, *post* tribus *colloc. R.* 20 facit *huc transposui*, *post* malobathro *colloc. R*; *L habet haec*: id est medicamentum ceroto ex malobathro facto duabus partibus mixtum et totum extra inpositum in ventrem plurimum iuvat. 21 ex *inclusi.* uni *scripsi*: unius *R.* 24 et ad tussem et ad uvae destillationem *L.* 25 Iulii Bassi] *cf. Gall.* XIII, 280.

tollit inflationes coli et omnis partis corporis; facit et ad stomachi imbecillitates et ad intestinorum alioqui dolorem, quem Graeci *στρόφον* appellant, ex aqua hysopum aut rutam decoctam habente. Item bene facit ad sanguinem et ex interiore parte: non enim patitur late fieri nec intus vulnus converti, sed cito supprimit sanguinem et vulnus cogit coire. Dandum autem his medicamentum ex aqua polion incoctum habente aut rutam. Prodest et torminosis et coeliacis datum ex aqua centunculum herbam incoctam habente, quam Graeci *γναφαλίδα* dicunt, vel sorba vel siliquam Syriacam. Lienosis datur ex mulso vel passo aquae mixtis. Eodem modo dandum est et eis, qui sanguinem per urinam vel alvum reddunt, nec minus etiam mulieribus, quae fluore sanguinolento infestantur, quod *ῥοῦν ἐρυθρὸν* Graeci dicunt, vel ex partu abortuve [quae] residuos vulvae dolores habent, et in totum, quibus supprimendus est fluor aut ex aliqua parte corporis inflatio tollenda. Recipit autem haec: Spicae nardi, costi, piperis albi, piperis nigri, piperis longi, murrae, opii, Apollinaris radicis, [et] cinnami, asari, acori, turis, brassicae seminis, castorei, singulorum p. X̶ XII, opopanacis p. X̶ X, stoechadis, dauci, ami, singulorum p. X̶ XVIII, seselis Cretici p. X̶ XXIIII. Mel Atticum miscetur; datur non plus quam X̶ pondus aut victoriati; ceterum prout cuiusque vires postulabunt, dummodo infra hoc pondus, ex aquae caldae cyathis tribus in noctem secundum cenam. Haec potio etiam febricitantibus tuto datur, sed coeliacis in ipso dolore prodest. Vitreo vase servatur.

CXXII. Ad coli dolorem faciunt quidem mirifice, quae superius posita sunt, sed cetera medicamenta in aliis vitiis dolorem levant in praesentia, hoc vero quod dicturus sum, supra hominis spem condicionemque est. Ideo primo tempore ne fidem quidem habet, postea a nullo satis digne laudari potest. Nam et in praesentia dolorem tollit et in

8 polion incoctum *scripsi*: *πόλιον* coctum *R*. 15 quae *inclusi*, *post* vel *transposuit Cornarius*. 19 et *delendum*. 21 ami *Georges*: amii *R* ameos *Cornarius*. 23 pondus *Cornarius*: p°. *R*. 33 praesenti *L*.

futurum remediat, ne umquam repetat. Raro enim quis iterum vel ad summum tertio hoc accepto medicamento vexatus est. Quamobrem si quando repetierit iterum dolor, dandae erunt per triduum et tunc potiones eodem modo, quo primae datae fuerint. Interdum et tertio in dolore eodem genere potiones dabuntur, quod ⟨raro⟩ accidit; post hoc utique in futurum quoque remediat, ita ut ne suspicio quidem ulla relinquatur vitii. Si quando tamen frigus aut multitudo cibi praecesserint, gravitatem quandam et torporem eius loci sine ullo dolore sentiunt, plane ut intellegant quasi, quanto malo caruerint. Hoc medicamento muliercula quaedam ex Africa Romae multos remediavit. Postea nos per magnam curam conpositionem accepimus, id est pretio dato, quod desideraverat, et aliquot non ignotos sanavimus, quorum nomina supervacuum est referre. Constat autem medicamentum ex his rebus: Cervi cornua sumuntur, dum tenera sunt, quasi in taleas breves divisa olla fictili conponuntur operculoque superposito et argilla undique circumdata fornace uruntur, donec in cinerem candidissimum redigantur atque ita in vaso vitreo mundo reponuntur. Cum dolorem habet aliquis, pridie quam poturus est medicamentum, debet abstinere ab omni re atque ita postero die sumuntur ex cornibus coclearia tria cumulata satis ampla, quibus miscentur piperis albi grana novem trita et murrae exiguum, quod odorem tantummodo praestare possit. Haec cum in unum commixta sunt mortario diligenter, coclea vera Africana, id est inde adlata, sumitur quam potest amplissima et viva mortario cum sua testa contunditur atque ut est teritur, donec nullum vestigium appareat testularum. Postea vini Falerni

1 ne *L*: ne eum *R*. 6 raro *addidi e M*. 7 hoc *scripsi*: hanc *R*. remediat *scripsi*: remediatur *R* remediabit *M*. 8 vitii *Boettiger*: vitiis *R*. 10 torporem *M*: priorem *R*. 12 Romae ex Africa *R*, *transposui*. 16 Cervi cornua] *Haec compositio a Galeno* (*vol.* XIII, 284) *ad Paccium Antiochum auctorem refertur*. 18 et *M*: ex *R*. 27 vera *M*: vero *R*. id est inde adlata *Rhodio suspecta visa sunt*.

non saccati cyathus adicitur et nihilo minus rursus teritur: magis enim tunc apparent residendo aspritudines, si quae reliquae sunt; quibus levatis iterum adiciuntur cyathi duo eiusdem vini atque ita prioribus bene admiscentur, transfunduntur que cum his, quae sunt in mortario, calice novo et super carbones inponitur, movente aliquo coclear io liquorem, ne quid subsidat et peruratur. At ubi bene incaluerit, iniciuntur in eundem calicem quae supra dixi coclearia tria et permovetur. Cum autem calore temperata est potio, datur obducenda; statim dolorem levat. Hoc facere oportebit per insequens biduum capientem cibi in prandio aut alio tempore exiguum, quod facile conficiatur, ne crudus sumat medicamentum. Postea in consuetudinem victus sui, qui colo infestabatur, dimittatur. Oportet tamen non indifferenter remediatos in futurum vivere: tametsi enim a coli dolore tuti sunt, metuere nihilo minus debent, ne alia parte corporis aeque adficiantur ob intemperantiam ⟨quam⟩ colo, antequam remediati erant.

CXXIII. Ad tumorem et dolorem iocineris, item ad duritiem facit bene lupi iecur primum in aqua ferventi demissum atque ita arefactum. Quantum victoriatorum pondus trium, ex aquae caldae cyathis tribus per aliquot dies dabis.

CXXIIII. Item bene facit ad duritiam iocineris veterem cunilae aridae, quam satureiam quidam vocant, contusae p. X̶ unius vel victoriati cum mulsi cyathis duobus vel totidem aquae.

CXXV. Proficit mirifice haec conpositio ad tumorem

2 aspritudines *L*: amplitudines *R*. 4 transfunduntur(que) *M*: transfunditurque *R*. 5 in calicem novum *M*. 6 super *scripsi*: supra *R*. 10 est *Rhod.*: erit *M* et *R*. obducenda *P. Leopardus*: abducenda *R*. 13 consuetudinem *Cornarius*: consuetudine *R*. 14 remittatur *M*. 18 ob *M*: ad *R*. quam *addidi*. colo *ego*: coli *R*. 19 erant *scripsi*: erunt *R*; *M haec habet*: ob intemperantiam, ob quam utique colo fuerant ante vexati. 22 demissum *ego*: dimissum *R*. 23 pondus *scripsi*: pondo *R*. 26 cunillae *R*. 28 vel *M*: et *R*.

et [ad] dolorem cum duritia iocineris et lienis; item ad renium dolorem bene facit. Nam colorem corporis restituit, qui propter vitia dictarum partium corrumpitur pallidusque conspicitur. Prodest hoc idem medicamentum etiam ad aquae mutationes: Croci p. X X, nardi p. X II, casiae p. X II, costi p. X I, schoeni p. X I, cinnami p. X I, murrae stactae p. X I, mellis optimi p. X XXV. Datur quantum faba Aegyptia in mulsi mixti cyathis quattuor. Vitreo vaso servatur.

CXXVI. Ad iocineris duritiam veterem, hydropicos, lienosos, arquatos et quibus opus est urina; item ex partu residua mulieri purgat et vulvae dolorem tollit, sic: Anesi p. X VIII, dauci p. X III, petroselini idem, iuniperi idem, silis ⟨idem⟩, tragacanthi pondo selibra, panacis p. X VIII, iris, murrae, costi, amomi, singulorum p. X VI, cinnami p. X III, casiae p. X III, smyrnii, quod est semen olusatri, p. X VIII, nardi Syriaci p. X IIII, acori p. X X, balsami seminis p. X VI, opii p. X V, ervi moliti sextarii bes, scillae coctae pondo triens, vini Chii aut Lesbii quod satis erit. Pastilli fiunt pondere X duum.

CXXVII. Ad auruginem, quod vitium arquatum quidam vocant, capreae montanae stercus arefactum et tritum adiecta mica murrae ex vini meri cyathis tribus: si febricitabunt, ex aquae totidem. Item rumicis radices tres aquae tribus heminis incoctae, donec sextarius relinquatur; inde cyathi quattuor per triduum dantur.

CXXVIII. Lienosis bene facit tamaricum longe a mari collectum et arefactum et contusum pondere X unius aut victoriati datum ex aqua vel ex posca. Prodest et inula arida Campana eodem modo contusa et cribrata ex

1 ad *om. M et R in indice.* 3 supra dictarum *M.* 4 idem *M*: item *R.* 8 mulsi mixti *scripsi*: musti mulsi *R*; *cf. c.* 153. 13 idem *M*: item *R.* idem *M*: item *R.* 14 idem *post* silis *om. R*, *addidi e M.* 15 cinnami *M*: cumami *R.* 17 Syriacae *M.* 20 pondere *ego*: p°. *R.* 21 auruginem *Aldus*: auriginem *R.* 28 et *ante* arefactum *om. M.* pondere *scripsi*: p°. *R, item infra.* 30 inula campana arida *Rhod.*

vini mixti cyathis quattuor pondere X unius data. Mirifice facit et ammoniacae guttae pondus victoriati cum cauliculis tribus rubi ex aceto datum per dies quinque: tollit enim ex toto duritiam.

CXXVIIII. Potio ad lienosos: Balani, qua unguentarii utuntur, p. X II, costi p. X I, capparis radicis p. X I, hederae nigrae bacarum p. X II, περικλυμένου, quam silvae matrem vocamus, pondus victoriati, galbani p. X VIII, cardami nigri, id est nasturcii, seminis p. X II et victoriati, piperis nigri p. X I, scillae coctae p. X XII. Haec omnia colliguntur scilla, fiunt globuli. Dantur pondere X duum vel unius ex melle et aceto mixtis cyathis quattuor aut tribus. Eadem facit ad hydropicos bene ex aqua mulsa, urinam movet.

CXXX. Lienosos sanat extra inpositus sinapis sextarius unus detritus adiecto sextario uno lentis aceto coctae. Oportet autem inpositum esse medicamentum, donec dolorem pati non possint; postea solio caldo demittantur, ubi plures eos contineant, dum desinat dolor; alioquin exilient: maior enim fit dolor calda tactis; postea ceratum ex rosa inponere oportebit.

CXXXI. Aliud eadem ratione inpositum melius facit: Sinapis sextarius, git cyathi duo, nasturcii cyathi quattuor, myrobalani corticis cyathi quattuor, piperis cyathi duo. Sinapi aceto acri pridie maceratum, deinde tritum, contusis ceteris miscetur. In panno inlitum medicamentum inponitur, fascia quam longissima alligatur plurimum in unum commissa, quo tardius solvatur. Hoc est efficacissimum et multorum annorum tollit duritiam. Sed post

2 pondus victoriati *scripsi*; X p°. victoriati *R*. 7 periclymeni *M*. 8 pondus v. *ego*: X p°. victoriati *R* 9 cardami id est nasturcii nigri seminis *Rhod.* 11 scilla] melle *Rhod.* ex melle *M*. pondere *ego*: p°. *R*. 14 *fortasse* urinam enim m. 16 ex aceto *M*. 18 demittantur *M*: dimittantur *R* 19 ubi *M*: ut *R*. 20 alioqui *M*. 26 contusis *M*: contusum *R*. 27 fasciaque long. *M*. plurimum] vel pluribus in unum commissis *M*.

hoc si quae reliquiae remanserint, ammoniaco tollendae erunt et rubo.

CXXXII. Infantibus lienosis dare oportebit aquam, in qua candens ferrum demissum est, vel lac caprinum capra tantummodo hedera pasta. Proderit his et sinapis sicca contusa cerato mixta et gypsum aqua conspersum extra inpositum et acetum, in quo tamaricum decoctum fuerit, vesica abditum et ita extra inpositum.

CXXXIII. Ad hydropicos, cum iam distenti sunt propter aquae multitudinem — initio enim alia via prodest — bene faciunt chameleae, quae herba est simillima olivae, folia quinque vel sex, etiam si arida fuerint, data ex aquae mulsae cyathis tribus, salis coceario adiecto: largiter enim aquam ducit. Item squama aeris, quam λεπίδα Graeci vocant, pondere victoriati data cum apii seminis pari pondere ex aquae mulsae cyathis quattuor, plurimum autem aquae deicit. Datur et radicis sucus ex vini mixti cyathis tribus. Oportet vero secundum purgationem spongeis novis totum ventrem ex aceto et sale eiusdem mensurae diluto et infervefacto inponere et constringere extra instita longa cibosque assae carnis dare cum pane azymo fricantem totum corpus sale ⟨et⟩ oleo paribus mensuris, vini meraci quod satis erit dantem.

CXXXIIII. Bene facit ad hydropicos haec conpositio et maxime in initiis, quorum sufflatum corpus est, ὑπὸ σάρκα quod Graeci vocant: Vitis albae radicis p. X̶ XX, cocci Cnidii p. X̶ IIII, scillae bulbi cocti detracta exteriore parte p. X̶ X, murrae p. X̶ VIII, ⟨adiectis⟩ cumini cyathis tribus, anesi cyathis tribus, vini Falerni sextariis duobus,

3 infantibus *M*: inflatibus *R.* 4 demissum est *scripsi*: dimissum *omisso* est *vocabulo R* dimittatur *M* 5 his et *M*: et his *R.* 6 et gypsum aqua conspersum extra inpositum *Rhod.*: extra inpositum et gypsum a. cons. *R.* 14 squama *Rhod.*: squamae *R.* 15 pondere *scripsi*: pondo *R.* 18 mixti *scripsi et huc transposui*: mixtis *post* tribus *colloc. R.* 19 spongiis *R.* ex sale aceto eiusdem mensurae diluto *Rhod.* 22 ⟨et⟩ *addidit Rhod.* 23 dare *Rhod.* 28 adiectis *addidi*: additis *vel* cum *Rhod.*

passi sextario uno. Praeter murram omnia contusa, non cribrata, macerantur passo et vino nocte et die; postridie colatur liquor, cui murra trita admiscetur. Ex quo cyathus datur a balneo alternis diebus singulis adiectis cyathis, donec profectus intellegatur. Oportet autem his diebus dare eis cibos assae carnis agrestis aut volucrum ac vinum austerum meraculum.

CXXXV. Quoniam interdum res postulat et per alvum detrahi materiam, ut diutius lippientibus secundum sanguinis detractionem, scabiem, ignem sacrum, papulas habentibus et alia eiusmodi circa cutem summam, non alienum iudicavimus horum quoque genus exponere. Sed prius exponemus, quae alvum mediocriter molliant simpliciaque sint.

Mollit ergo alvum herba Mercurialis lenibus holeribus quam plurima mixta, item nitri victoriati pondus cum resina terebinthina avellanae nucis magnitudine devoratum. Calices quoque eis incrustentur additis quinque vel sex salis farrisque granis, apii seminis paribus mensuris: ex his qui vinum non austerum praebiberit, quantum possit ante cibum et inter prandium vel cenam, belle alvum mollit. Item ovilli lactis sextario si quis adiciat cnici purgati p. X IIII, molliet ventrem. Quidam tribus heminis vini adiciunt aloes victoriati pondus vel idem pondus duobus tribusve sextariis vini et ita totum per partes aqua mixtum bibunt. Videtur autem vinum vetustius ventremque cum eo satis mollit. Facit autem aloe per se victoriati vel X pondere ex aquae cyathis tribus frigidae vel calidae perducta.

3 Ex *ego*: a *R* 4 datur *Rhod.*: datus *R.* 7 ac *Rhod.*: aut *R.* 13 molliant *M*: molliunt *R* simpliciaque *Boettiger*: simplicia quae *R.* 14 sint *M*: sunt *R.* 15 levibus *M.* holeribus *L*: oler. *R.* 16 resina terebinthina *M*: resinae terebinthinae *R.* 17 devoratum *scripsi*: devoratur *R.* 19 ex his *Rhod.*: et is *R.* 23 molliet *M*: mollit et *R*; *interpunctionem correxi.* Quidam *M*: quidem *R.* 24 adiciunt *M*: ut *R.* pondus *scripsi*: pondo *R.* 28 pondere *M*: p°. *R.* 29 perducta *Boettiger*: perductae *R* epotata *M.*

CXXXVI. Purgat ergo belle chamelea, quae herba olivae folia similia habet, quorum quinque vel sex dare oportet, trita ex aquae mulsae cyathis IIII frigidae, si adsuetus erit, sin minus calidae adiecto ⟨salis⟩ cocleario: detrahit enim aquam largiter.

Biles purgat et filicis radix lota et rasa atque in minimas particulas concisa quantum placet aceto aspersa, cocta ut solet, ⟨et⟩ ita cum panis quadrante consumpta.

CXXXVII. Bene purgat et haec conpositio: Aloes victoriati pondus, colophoniae victoriati pondus una teruntur; adicitur mellis quod satis est ad colligenda ea. Datur ex aquae calidae vel frigidae cyathis quattuor. Hoc medicamentum stomachum non conrumpit.

CXXXVIII. Globuli mirifice purgantes, qui ut sumuntur, ita integri deiciuntur nec laedunt stomachum: Colophoniae p. X VIII, bdellii p. X II, commis p. X I. Haec trita suco lactucae colliguntur et finguntur pilulae fabae magnitudinis. Dantur a tribus pilulis usque ad septem, prout unius cuiusque vires patiuntur.

CXXXVIIII. Globuli, qui etiam cenatis dantur et efficiunt mane deici, quod satis sit: Colophoniae p. X III, aloes p. X IIII, tragacanthi p. X II. Hoc pridie aqua maceratur, postero die ceteris admiscetur; fiunt inde globuli fabae magnitudinis. Dantur a tribus usque ad septem, prout cuiusque vires patiuntur. Stomachum nullo modo vexant.

CXL. Ad taenias necandas ⟨et⟩ eiciendas per triduum alium plurimum edat et veteratum caseum mollem; secundum hoc filicis Macedonicae aridae contusae et cri-

1 chamaelea *L R*. 4 sin *L*: si *R*. salis *addidi e M*. cocliario *L*. 7 adspersa *M*: aspersas *R*. 8 cocta *M*: condito *R*. et *addidi e M*. panis *M*: pondo *R*; *an* panis pondo? 10 colophoni *L*: colofoniae *R*. 11 est] sit *M* 13 conrumpit *L*: corrumpit *R*. 15 colophoni *L* colofoniae *R* 18 a tribus *M*: paribus *R*. 20 cenanti *L*. 21 colophoni *L* colofoniae *R*. 27 taenias *Rhod.*: tineas *L R*. et *addidi e M*. 28 aleum *L*. 29 aridae contusae *M*: contusae aridae *R*.

bratae p. X VIII, cum melle, quantum ipse voluerit, consumat. Post horas quattuor detur ei aloes et scamoniae singulorum victoriati pondus ex aquae mulsae cyathis quattuor; cum coeperit desurgere, aqua calda supponatur. Licet et sine oleo pridie incenato dare utraque medicamenta.

CXLI. Ad lumbricos satis commode facit et Santonica herba, quae non viget, et cornum cervinum limatum lima lignaria, quantum quattuor vel quinque coclearia, ex aquae myxorum decoctorum cyathis tribus pridie maceratum, deinde tritum et datum aqua exigua adiecta.

CXLII. Tenesmos est inritatio ultimae partis directi intestini, in quo vitio saepius libet desurgere sine causa. Proderit ad hoc, quotiens desurrexerit, vino austerissimo et aqua calida fovere vel verbenis ex murti et olivae ramulis factis ita, ut duae partes murti sint. Quin etiam penicillum intinctum et non nimis expressum ex alterutro eorum ano adpositum proderit habere vel eodem modo glomus staminis albi: diutius enim vaporem continet. Perunguendus erit anus specillo lycio Patarico vel Indico, vel hoc collyrium iniciendum, quod ad omnem deiectionem et tormina bene facit: Acaciae, mali granati corticis usti, singulorum p. X IIII, hypocistidis, rhus, quo coriarii utuntur, opii, singulorum p. X VI, omphaci p. X IIII et victoriati, croci p. X IIII. Vino austero colliguntur, fiunt collyria magnitudinis nucleorum pineorum.

CXLIII. Ad renium tumorem et exulcerationem, etiam si sanguilentam urinam faciant: Rosae aridae foliorum,

3 pondus *scripsi*: pondo *R*. 6 santonica *L*: sandonica *R*. 7 non *scripsi*: nunc *R*; *cf. Marc. p.* 201: Absinthii sicci santonici conbusti cyathum unum, corni cervini conbusti cyathum unum. 8 cocliaria *L*. 9 mixorum *R* 11 inritatio *L*: iritatio (*sic*) *R*. 12 vitio *M*: ultimo *R*. 13 quotiens *L*: quoties *R*. 14 ex *Rhod.*: et *R*. 16 penicellum *L*. 17 adpositum *M*: expositum *R* impositum *Rhod.* 19 perungundus *R* spicillo *L*. 22 hypocistidos *L* rhus *L*: rhois *R*. 23 p. X VI *Rhod. e M*: pondo sena *R*. omphaci *L*: omphacii *R* p. X IIII *Rhod. e M*: pondo quatuor *R* 26 et] aut *M* 27 sanguinulentam *L*.

papaveris nigri seminis, nucleorum pineorum paria pondera contunduntur seorsum et in unum miscentur; inde datur quantum nux iuglans ex passi cyathis duobus et aquae cyathis tribus.

CXLIIII. Alia ad renium dolorem potio, quae etiam quasi harenam sabulosam detrahit: Apii seminis, petroselini, anesi, singulorum p. X̶ XVI, dauci seminis p. X̶ IIII, schoeni p. X̶ VI, croci p. X̶ XXXII, mellis quod satis videbitur. Datur quantum lupinus ex mellis ligula et aquae cyathis IIII.

Ad renium tumorem et dolorem, facit eadem et ad iocineris et ad lienis tumorem ⟨et⟩ ad eos, qui mali coloris propter haec sunt vitia, item ⟨ad⟩ aquae mutationes: Croci p. X̶ X, nardi Indici p. X̶ II, casiae p. X̶ II, costi p. X̶ I, cinnami p. X̶ I, murrae stactes p. X̶ I, mellis optimi p. X̶ XXV. Datur quantum faba Aegyptia ex mulsi cyatho mixto aquae duobus vel mulsae aquae cyathis tribus.

CXLV. Si cui autem lapis in renibus innatus fuerit et urinam non faciet, medicamentum his rebus fieri debet: Petroselini pondo — I, anesi pondo — I, dauci seminis pondo Z, git pondo — I, cinnami pondo Z, schoeni pondo Z, croci Ɜ V, apii seminis p. Ɜ VI. Haec omnia tusa creta melle Attico despumato pondo II Z colliguntur et medicamentum vitro condunt.

CXLVI. Ad tumorem et dolorem vesicae et exulcerationem bene facit aqua, in qua ferrum candens demissum est. Hoc ego traxi ab aquis caldis, quae sunt in Tuscia ferratae et mirifice remediant vesicae vitia — appellantur itaque vesicariae — quondam Milonis Brocchi

3 nux *M*: nucis *R* iuglans *scripsi*: iuglandis *R M*. 6 harenam *L*: aren. *R*. sablosam *L*. 9 datur *M*: dantur *R* 11 Ad renium] *cf. c.* 125, *ubi compositio eadem est et Plin. de re med.* II, 37. 12 iocineris *L*: iecinoris *R*. 13 ad *addidi*. 15 cinnami *M*: cumani *R*. stactae *M*. 16 datur *M*: dantur *R*. faba Aegyptia *scripsi*: fabae Aegyptiae *R*. 22 Ɜ *Aldus*: Ↄ *R*; *cf. de hac nota c.* 72. 26 demissum *scripsi*: dimissum *R L*. 29 Brocchi *M*: Gracchi *R*.

praetorii, hominis optimi, ad quinquagesimum lapidem [reddentis].

CXLVII. Ad tumorem et dolorem vesicae et ad eos, qui difficulter urinam reddunt: Alterci seminis, apii seminis, malvae seminis, cucumeris edulis seminis purgati, singulorum p. X VI, amygdalorum dulcium purgatorum, nucleorum pineorum purgatorum, singulorum p. X III, opi p. X I, croci p. X I et victoriati; passo contusa conspergunter. Datur hoc medicamentum pondere X I ex passi cyathis duobus et aquae totidem.

CXVIII. Ad vesicam exulceratam: Nucleorum amygdalorum victoriati pondus, cucumeris edulis seminis purgati cyathus unus, anesi cyathus, papaveris nigri p. X IIII, croci p. X I, palmae cariotae XXX. Has macerari oportet in passi sextario uno atque conterere, his adicere cetera: ex eo dare nucis iuglandis magnitudinem ex passi cyathis tribus.

CXLVIIII. Ad sanguinem cum dolore per urinam reddentes: Aluminis fissi pondo uncia, tragacanthi pondo sextans. Tragacanthum ex alumine trito cogitur in pastillos victoriati pondere; hinc viciae magnitudine detractum datur ex passi cyathis tribus.

CL. [Ad initia vetustave comprimenda et emendanda bene facit.] Ad calculosos herba σκολοπένδριον, quam nos calcifragam appellamus, belle facit contusa pondere X I ex aquae cyathis tribus per dies triginta; eodem modo datur ἱερὰ βοτάνη, quam nos Vettonicam dicimus [item

1 quinquagensimum *L.* ab urbe lapidem *M.* 2 reddentis *om. M, inclusi.* 7 opi *L*: opii *R.* 9 pondere *scripsi*: p°. *R.* 14 palmae caryotae *Rhod.* palmas cariotas *R.* XXX *M*: p. triginta *R*; *an* n. (= numero) tr.? 15 sextario uno *scripsi*: sextarium unum *R.* 16 eo *M*: eodem *R.* magnitudine *L.* 21 pondere *scripsi*: pondo *R.* 23 *vocabula* Ad initia vetustave comprimenda et emendanda bene facit *a M omissa Scribonii non esse vidit Rhodius.* 25 pondere *ego*: p°. *R.* 27 datur *huc transposui, post* genere *colloc. R.* Vettonicam] *sic etiam L* verbenacam *Cornarius; cf. Plin. nat. hist.* 25, 105. 26, 87. *verba inclusa non habet M.*

eodem genere tantum]; licet autem aqua earum decocta uti cotidie ieiunum pondere X unius cum aquae cyathis tribus.

CLI. Multos cum admiratione effectus audivi narrantes, Cai Juli, nasci in lapidicinis bestiolas adhaerentes saxis quasi verrucas; has quinque ex aquae cyathis tribus findere et per urinam extrahere lapides [certum est].

CLII. Ad calculosos: Cucumeris seminis, dauci, anesi, apii, petroselini, murrae, singulorum p. X III et victoriati, casiae daphnitidis, cinnami, nardi, singulorum p. X I, aqua colliguntur, fiunt pastilli lupini magnitudinis. Ex aquae dantur cyathis tribus per dies quadraginta. Hoc medicamentum cum conponitur, pilum ligneum sit; qui contundit, anulum ferreum non habeat. Hanc enim superstitionem adiecit Ambrosius medicus Puteolanus, qui adfirmavit multos se hoc medicamento sanasse. Detrahere autem dixit post diem septimum fragmina quaedam lapidum quasi harenam.

CLIII. Ad calculosos, lienosos, hydropicos; urinam detrahit, lapidem extenuat: Eryngi, pyrethri, saliuncae, calcifragae, singulorum p. X XXV, ebuli, aristolochiae, singulorum p. X ⟨V⟩; oxymyrsinae, quae scopa regia vocatur, suco haec omnia contusa ligno colliguntur, fiunt pastilli pondere X unius. Dantur autem ex aceti et mellis cyathis tribus.

Calculosis ⟨prodest⟩ illecebrae quantum manus capit

1 autem] *an* etiam? 2 pondere *scripsi*: p°. *R.* 5 Casilini *pro* Cai Juli *M.* 6 *pro* quinque *M exhibet*: datas tritas. 7 findere *M*: suffundere *R* diffindere *Rhod.*; *verba* certum est *om. M, glossema videntur.* 8 Cucumeris] *Hanc compositionem Galenus vol.* XIII, 325 *et qui eum exscripsit Aetius tetr.* III *serm.* III *c.* XIII *ad Andromachum auctorem referunt.* 10 *post* casiae *interpunctionem sustuli.* daphnitidis *M* (*ut c.* 269): daphnidis *R., cf. Veget.* 6, 13. 11 aquae *M*: aqua *R.* 13 contundit *M*: contunditur *R.* 18 harenam *L*: aren. *R.* 20 eryngi *L*: eryngii *R.* pirethri *L.* 21 ebuli] polii, folii *M.* aristolociae *L.* 22 V *addidi e M.* 24 pondere *scripsi*: p°. *R.* 26 prodest *addidi.*

aut auriculae murinae idem aut Vettonicae tantundem; earum quaelibet herba ex aquae tribus heminis ad tertias decoquitur, inde sumuntur cyathi tres et eodem adiciuntur vini cyathi duo et nitri victoriati pondus atque his dilutum medicamentum datur pondere X I per dies quadraginta quinque; in harenam solvit lapidem; sed hydropicis ex mulsi mixti cyathis tribus dandum est.

CLIIII. Ad lumborum dolorem: Cucurbitae silvestris floccorum aut seminis p. X II, brathys p. X I, salis p. X I. Fiunt catapotia melle decocto adiecto. Valentibus tota datur conpositio, imbecillioribus autem dimidia. Sed mane per clysterem alvus ducenda ovorum albis temperatum.

CLV. Ad lumborum dolorem et paralyticos: Cucurbitae silvestris p. X IIII, pyrethri p. X IIII, murrae p. X II vel I. Dantur ex passi cyathis tribus. Licet hinc catapotia fieri, dum idem ponderis devoretur. Sed et his alvus acri clysmo mane trahenda est.

CLVI. Ad lumborum dolorem et paralyticos antidotos hiera Pacci Antiochi melius omni medicamento facit. Sed ad paralysin mirifice hoc acopum facit, quo oportet in sole diu fricare aut loco flamma praecalfacto: Olei Sabini p. X XXV, cucumeris silvatici recentis radicis p. X XV. Haec radix magnitudine nucis iuglandis concisa vaso fictili novo ex oleo coquitur, donec sucum omnem remittat et quasi arida sit; post hoc abicitur. Per linteum vel colum transmisso oleo adicitur, dum calet, cerae Ponticae in frusta redactae pondo libra, olei laurini pondo libra, olei cyprini pondo libra, olei lilini pondo libra, olei veteris pondo dua, piperis albi contusi et per cribrum tenuissimum transmissi p. X I, pyrethri contusi et per idem

1 marinae *M* conchulae marinae *Rhod.*, *sed conf. Marc.* XXVIII, p. 200: herba quae muris auricula dicitur. betonicae *R.* 4 pondus *scripsi*: pondo *R.* 5 pondere X *scripsi*: pondo *R.* 17 detrahenda *M.* 19 acci *L* Pacchii *R*; *cf. Gal.* XIII, p. 284. 20 quo *M*: quod *R.* 25 abicitur *M*: adicitur *R*; *interpunctionem mutavi.* 26 *post* oleo *add.* in quo *R.* 28 lilini *scripsi*: lilii *R* irini *M.* 30 p. X I *scripsi*: X p°. as *R* p. X ac semis *Rhod.*

cribrum transmissi p. X I. Haec in unum miscentur, reponuntur vaso fictili. Facit praeterea ad lumborum et ad omnem dolorem corporis et praecipue nervorum. Muliebres locos durissimos mollit, cum diu aliis medicamentis nihil profectum est.

CLVII. Ad lumborum dolorem malagma quod proprie facit: Picis liquidae sextarios duos, olei veteris sextarium unum, resinae terebinthinae sextarium unum, cerae pondo libram et trientem, magmatis pondo bessem, aphronitri pondo trientem. Coquitur pix cum oleo, donec spissa fiat, et postea adicitur ei resina, deinde cera et secundum hanc ex intervallo magma. Ubi habet emplastri figuram medicamentum, tollitur ab igne ⟨et⟩ cum tepere coeperit, aphronitrum aspergitur sensim, ne superfundatur, quod in caccabo est.

CLVIII. Ad podagram cum fervore et tumore rubicundo, quam caldam vocant, bene facit primis diebus herba urceolaris, item caseus mollis recens per se; postea herbae salis pusillum admiscere oportet. Item facit apium viride per se vel cum polenta, nec minus solanum, portulaca, plantago, spongea vel Rhodia vel Africana mollis ex aqua frigida, lana sucida ex rosa et vino. Subinde autem haec omnia mutare oportet, priusquam excalefiant. Prodest et omentum caprinum, item faba molita cum suis valvulis ex aceto cum melle diluto conspersa et inposita: ducit enim sanguinem et dolorem levat. Bene faciunt et mala citrea quam maxime cocta ex aceti sextariis tribus, donec madida fiant; quibus tritis adicitur aluminis fissi pondo uncia, murrae pondo sextans. Bene facit et aloe aceto diluta et per pinnam pedibus inducta, item opium lacte muliebri dilutum.

CLVIIII. Mirifice vero hoc facit cataplasma, id est

13 et *add.* *M*: *om.* *R hac vocula ante* aphronitrum *posita.* 15 caccabo *L*: cacabo *R*. 16 *post* podagram *add.* caldam *R*, *om.* *M*. 20 vel *M*: et *R*. 21 spongia *R*. 27 citrea *M*: citria *R*. maxime] maxima quinque *M*. 32 *verba* id est superpositum medicamentum *Rhodio glossema visa sunt.*

superpositum medicamentum; tollit enim triduo dolorem: Lomenti hemina, feniculi seminis cyathi duo, polentae tenuis cyathi duo. Commiscentur haec in unum contusa, molita, trita, deinde consperguntur aqua pluvia et ita temperantur, ne durum sit medicamentum aut aquatum nimis. Inpositum protinus levat, triduo tollit dolorem. Hoc constat, si quis ter in mense inter denos dies usus fuerit, in nocte non laboraturum.

CLX. Ad frigidam podagram, quae sine tumore et rubore consistit, cataplasma: Piperis nigri moliti hemina, feniculi seminis contusi hemina, coquuntur ex aqua utraque; ubi temperata sunt, adicitur axungia suilla et dum calet, panno spisso inductum medicamentum inponitur.

Bene facit ad idem genus et: Lini seminis et faeni graeci seminis, farinae hordeaciae, singulorum bini sextarii cribrati in unum commiscentur; inde coquere oportet quod satis erit ex aqua et oleo, subinde calidum cataplasma etiam inponere.

Bene facit et hibisci radix ex aqua mulsa cocta et inposita, item sabucum cum axungia vetere tritum et inpositum, adiectus et brassicae cinis cum axungia vel semen caulium. Ubi autem impetus cessaverit, et in hoc et in priore genere podagrae calda aqua marina diu fovendi sunt, vel si haec non erit, aquae purae ferventi salem adicito. Post epithemate uti oportet, quod ad parotidas scriptum est: tollit enim cito reliquias per sudores et in futurum confirmat nervos nec patitur facile vitiari.

CLXI. Scio quendam hoc quasi acopo medicum usum in noctem nec postea temptatum podagra, cum ante diu esset vexatus: Lanam sucidam pondo librae vini veteris sextario diu lavabat, deinde expressam reiciebat; vino autem residuo adiciebat aphronitri usti pondo sextantem, olei veteris pondo libram; reponebat in oleario fictili;

13 inductum *Rhod.*: inducto *R.* 15 ordeaciae *R.* 18 etiam *om M* 19 *ante* Bene facit *add. R* ad hos, *om. M.* hybisci *R.* 21 adiectus *om. M*; *fort. legendum* adiuvat et. 30 librae *Rhod.*: libra *R.*

utebatur, ut superius dixi, in nocte. Multis profuit ad corpus in duplici calceo pellem caninam habere.

CLXII. Ad utramlibet podagram torpedinem nigram vivam, cum accesserit dolor, subicere pedibus oportet stantibus in litore non sicco, sed quod adluit mare, donec sentiat torpere pedem totum et tibiam usque ad genua. Hoc et in praesenti tollit dolorem et in futurum remediat. Hoc Anteros Tiberii libertus supra hereditates remediatus est.

CLXIII. Ut sis tutus, etiam si quando rus secesseris, ponam theriacarum conpositiones, id est ad serpentum morsus atque ictus medicamenta. Sed prius quae cognita habui remedia, ne cui serpentes noceant, dicam. Habere ergo in cinctu oportet peucedanum vel cervi, cum captus est, in oculi angulo, qui est ad nares versus, quae inveniuntur sordes virosi odoris; has Siciliae venatores diligenter colligunt et habent in cinctu propter ante dictam causam. Idem praestat et hiera botane et trifolium acutum, quod ὀξυτρίφυλλον Graeci appellant; nascitur et hoc Siciliae plurimum. Nam in Italiae regionibus nusquam eam vidi herbam nisi in Lunae portu, cum Britanniam peteremus cum deo nostro Caesare, plurimam super circumdatos montes. Est autem foliis et specie et numero similis communi trifolio, nisi quod huius pleniora sunt et quasi lanuginem quandam super se habent et in extrema parte velut aculeum eminentem. Sed huius frutex duorum pedum interdum aut etiam amplior conspicitur et odorem gravem emittit, quorum nihil circa pratense trifolium invenitur. Sed utrasque superius dictas herbas [quas] cum inveneris pridie notare oportet et circumscribere sinistra manu fruges aliquas ponentem atque postero die ante solis ortum sinistra manu vellere ⟨et⟩ ita inligatas habere.

8 Anteros *M*: Anthero *R*. 14 in cinctu *Rhod.*: incinctum *R*. 17 cincto *R*. 22 plurimam *ego*: plurimum *R*. 29 quas *inclusi*. 31 manu *ego*: ante *vel* ave *Rhod. dubitanter* aure *R* 32 ⟨et⟩ *addidi*.

CLXIIII. In Africa aut sicubi scorpiones sunt noxii, stellionem aridum in cinctu oportet habere.

CLXV. Theriace facit ad omnium serpentium morsus et ictus et adflatus mirifice; eadem prodest et ad contusiones et ad convulsiones interiorum partium laterisque ex qualibet causa et pectoris dolores: Vitis albae radicis pondo octo, trifolii acuti seminis, quod et ipsum in extremo aculeum habet, vel eiusdem radicis trepondo, panacis p. X IIII, terrae mali p. X V, roris marini radicis p. X IIII, laseris p. X IIII, gingiberis p. X IIII, rutae silvaticae p. X VI, cumini Thebaici p. X III, murrae p. X III, cumini Aethiopici p. X V, castorei p. X III, eryngii radicis p. X III, serpulli p. X III, ervi albi seminis moliti p. X XII. Chio vino consperguntur contusa ac trita; fiunt pastilli pondere X unius aut victoriati. Dantur ex vino mero vetere vel mixto vel ex aqua: quae si non fuerint, per se commanducandus erit pastillus et devorandus.

CLXVI. Alter pastillus ad eadem facit: Cinnami p. X IIII, serpulli p. X IIII, staphidis agriae [quam herbam pediculariam quidam vocant, quod pediculos necat, a quibus hoc nomen trahit] seminis p. X III et victoriati, piperis albi p. X VI, peucedani lactis p. X VIII et victoriati, glycysidae nigrae seminis, quam paeoniam Graecorum quidam appellant, p. X I et victoriati, terrae mali p. X III, nasturcii seminis p. X IIII, cachryos p. X II et victoriati, castorei p. X II, saliuncae p. X V. * * *

CLXVII. Altera theriace etiam ad aspidem.

Deest.

2 in cinctu *Georges*: incinctum *R.* 4 afflatus. Mirifice *R*; *interpunctionem mutavi.* 7 pondo octo] *scribendum videtur*: p. X VIII. 8 trepondo] *suspicor*: p. X III. 9 p. X IIII *Rhod.*: p°. IIII *R.* rori *R.* 11 p. X VI *ego*: p°. sex *R.* p. X III *scripsi*: p°. III *R.* 13 serpylli *R.* 15 pondere *ego*: p°. *R.* 16 ex *ante* mixto *colloc. R, transposui.* 19 serpylli *R.* staphidis *Rhod.*: staphis *R.* 26 *Hic in Ruellii codice folium unum defuisse videtur, qua iactura et extrema huius compositionis pars et c.* CLXVII *et c.* CLXVIII *et c.* CLXVIIII *et principium antidoti Mithridatis interciderunt.*

CLXVIII. Ad viperae morsum proprie.

Deest.

CLXVIIII. Antidotos Zopyri.

Deest.

CLXX. Antidotos Mithridatis.

Deest initium; cf. Gal. XIV, 152 *K.*

Acori p. X II, phu p. X I, sagapeni p. X II, iris Illyricae p. X II, balsami seminis p. X II, rutae silvaticae p. X II, gentianae p. X II, anesi p. X III, thlaspis p. X VI et victoriati, rosae aridae p. X IIII, misy p. X IIII, acaciae p. X III, commis p. X II, cardamomi p. X II, schoeni floris p. X VI et victoriati, opopanacis p. X VI, opobalsami p. X VI et victoriati, galbani p. X VI et victoriati, resinae terebinthinae p. X VI et victoriati, rubricae Lemniae p. X VII. Melle Attico et vino Chio conspergito, donec habeat spissitudinem mellis. Reponitur vitreo vase. Danda autem est iis, qui malum medicamentum sumpserunt, fabae Aegyptiae magnitudine ex vini meri, si poterit, cyathis sex: sin minus, mixti meracius cyathis quattuor cotidie. Et a serpente laesis danda erit: ex mulso autem, quorum iecur durum est aut arquati sunt et quibus alioquin urinam movere studemus. Sed fabae nostratis magnitudine tussientibus, oculis laborantibus, latus dolentibus; ceterum magnitudine ciceris coeliacis; ⟨febricitantibus⟩ — prodest enim et his — viciae magnitudine ante accessionem febrium; tetanicis, opisthotonicis, spasmo correptis — adiuvat enim eos — lupini magnitudine, sed cum aquae cyathis tribus.

CLXXI. Antidotus Apulei Celsi praeceptoris, quam quotannis conponebat et genere quodam publice mittebat Centuripas, unde ortus erat, quia in Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes. Facit enim ad horum morsum protinus quidem data per dies triginta, ita ut aquae, id est liquoris

17 Danda *ego*: Dandum *R.* iis *scripsi*: his *R.* 21 aut] aut qui *Rhod.* 23 magnitudine *Rhod.*: magnitudinis *R.* 24 febricitantibus *addidi.* 25 magnitudine *scripsi*: magnitudo *R.*

timore numquam temptetur. Qui cum accidit, summo cruciatu ad mortem eos conpellit, quos ob ante dictam causam ὑδροφόβους Graeci appellant. In ipsa autem correptione uti oportet ea, data cum rosae cyathis tribus et exigua aqua pondere X I. Hoc proficit, ut aquam postea sine timore sumant, et minus quidem liberati hac difficultate cruciantur; ceterum nemo adhuc correptus hoc malo, quantum ego scio, expeditus est. Quamquam pervenit ad me opinio esse in insula Creta barbarum quendam naufragio adpulsum maiorem natu publice mercedem accipientem. Quin etiam cum liquorem timent et latratus edunt spasmoque vexantur, remedium brachio sinistro alligatum efficere, ut et potionem accipiant et liberentur vitio, quod adhuc ante antidotum Celsi inter omnes quasi insanabile constitit.

CLXXII. Hoc ego cum quaererem ab hospite meo legato inde misso nomine Zopyro Gortynense medico, quid esset, pro magno munere accepi. Dixit autem hyaenae corii particulam esse panno inligatam. Quod ego adhuc non sum expertus, quamvis protinus magna cura hyaenam invenerim et pellem paratam habeam, quia non incidit ex eo quisquam, et opto quidem ne incidat, sed quia id non est in nostra potestate, si casu inciderit, remedium habere oportet ad tantae rei experimentum.

CLXXIII. Antidotus autem Celsi haec recipit: Nardi Syriaci, croci, murrae, costi, casiae, cinnami, schoeni, piperis albi, piperis longi, castorei, galbani, resinae terebinthinae, opii, singulorum p. X III, alterci albi p. X II, anesi p. X I, apii seminis, tragacanthi, singulorum p. X VI, mellis Attici sextarium unum, vini Falerni unciam. In hoc maceratur tragacanthum et opium pridie, postero die contusis ceteris miscentur in melle; galbanum et resina fictili patella super carbones inposita resolvuntur, deinde

5 pondere *ego*: p°. *R*. 6 tumore *R errore typothetae*. 11 liquore *R*. 12 alligatum *scripsi*: alligato *R*. 17 Gortynense *Holstenius*: Gordiense *R*. 26 Syriacae *Aldus*.

arida asperguntur et si opus est, adicitur mel et ut cerati teneri spissitudinem habeant, [et] rursus patella super ignem inponitur moventurque quae sunt in ea spatha fraxinea. Coquitur medicamentum, donec crocinum habeat colorem; ultima quae sunt vino macerata adiciuntur; vase vitreo antidotus reponitur. Datur fabae Aegyptiae magnitudine ex aqua. Facit autem etiam ad stomachi omne vitium et praecipue quod cum fluore consistit; facit et ad oculorum epiphoras et ad tormina et ad coli inflationem, iecinoris, pectoris dolorem, tussientes, adversus mala medicamenta omnia, serpentium morsus vel ictus. Oportet autem locum morsum a rabioso cane vel a serpente diu tenere in exulceratione neque pati cicatricem ducere, ut virus illa pertrahatur. CLXXIIII. Extra itaque ea sunt inponenda, quae etiam sana corpora exulcerant, ut alium, lepidium, chelidonium, batrachium, sinapis, scilla, cepa cum aceto. Optime facit et per se caprifici liber [per se] contritus et inpositus ulceri; item laser per se.

CLXXV. Sed multo magis emplastri huius vis facit, quod Augusta propter eiusmodi casus habuit conpositum et multis profuit. Accepimus a Tryphone praeceptore nostro: Iris Illyricae p. ✕ V, castorei Pontici p. ✕ V, caprificus lactis aridi p. ✕ V, canis nigri adipis p. ✕ VIII, eiusdem sanguinis p. ✕ X, resinae terebinthinae p. ✕ VIII, leporis coaguli p. ✕ IIII, salis ammoniaci p. ✕ II, laseris Cyrenaici p. ✕ II aut Syriaci p. ✕ IIII, cerae Ponticae p. ✕ XXXVI, olei veteris cyathi duo, aceti scillitis cyathi tres. Arida ex aceto teruntur; quae liquefieri possunt, oleo ad ignem liquefacta miscentur mortario tritis et temperatis in mellis spissitudinem. Vitreo reponitur.

2 et *ante* rursus *inclusi.* 13 exulceratione *ego*: exulcerationem *R.* 15 allium *R.* 16 celidonium *R.* batracium *R.* 17 per se *inclusi.* 19 *ante* Sed multo *inseruit R ex lemmate* Emplastrum antidotum *quod delevi.* 20 quod *Stephanus*: quo *R.* 21 Triphone *R*; *cf. Gal.* XII, 843 *Τρύφωνος ἀρχαίου.* 26 syrenaici *R.* 29 liquefacta *ego*: liquefacto *R.* 30 vitr *vel* vitreo vase *Rhod.*

CLXXVI. Antidotus Cassii medici facit adversus toxicum potum, eadem si quis venenato telo percussus est, praeterea ad omnis serpentis morsus aut ictus, praecipue ad canis rabiosi morsus bis die sumpta pondere 𐆖 unius ex aqua mulsa. Facit ad pectoris et lateris dolorem et tussim et omnia interanea inflatione aliove quovis dolore correpta: Nardi spicae Syriacae p. 𐆖 III, costi p. 𐆖 III, cinnami, gentianae, casiae, murrae, singulorum p. 𐆖 III, croci p. 𐆖 III, uvae passae purgatae p. 𐆖 II, schoeni p. 𐆖 II, opobalsami p. 𐆖 II, misys, dauci singulorum p. 𐆖 II, cumini Aethiopici p. 𐆖 II, acori p. 𐆖 IIII et victoriati, asari p. 𐆖 I et victoriati, petroselini p. 𐆖 I et victoriati, piperis longi p. 𐆖 I et victoriati, piperis albi p. 𐆖 I et victoriati, phu Pontici seminis p. 𐆖 III, rapae seminis p. 𐆖 IIII, nardi foliorum p. 𐆖 III, scillae victoriati pondus, feniculi seminis p. 𐆖 IIII, mellis Attici quod satis erit. Ad venenum et ad serpentes ex vino, ad ceteros dolores interaneorum ex aqua.

CLXXVII. Antidotus Marciani medici, cui quia nihil deest, τελεία dicitur Graece, id est perfecta. Facit ad omnia haec vitia, ad quae superiores antidoti omnes. Haec Augusto Caesari conponebatur: Cinnami p. 𐆖 VIII, amomi p. 𐆖 VI, casiae nigrae p. 𐆖 XXV, croci p. 𐆖 XVI, schoeni p. 𐆖 V, turis p. 𐆖 V, piperis albi p. 𐆖 II, murrae p. 𐆖 X, piperis longi p. 𐆖 X, nardi Indicae p. 𐆖 X S, nardi Celticae p. 𐆖 XVI, rosae aridae p. 𐆖 VI, costi albi p. 𐆖 II, opobalsami p. 𐆖 IIII, laseris Cyrenaici victoriati pondus vel Syriaci p. 𐆖 I, stoechados p. 𐆖 VI, gentianae p. 𐆖 V, trifolii acuti radicis p. 𐆖 IIII vel eiusdem seminis p. 𐆖 III, scordii p. 𐆖 X, polii p. 𐆖 V, asari p. 𐆖 II, acori p. 𐆖 III, phu p. 𐆖 III, misy p. 𐆖 II, dictamni p. 𐆖 XII, ammoniaci guttae p. 𐆖 III, agarici p. 𐆖 duum semis, balsami seminis

4 pondere *ego*: p°. *R.* 6 aliove quovis dolore *scripsi*: alioque dolore aut quovis *R* aliove quo dolore *Boettiger.* 10 mysis *R.* 15 foliorum *scripsi*: folia *R.* victoriati pondus *ego*: victoriati · 𐆖 · p°. pondus *R.* 21 Haec *scripsi*: Hoc *R.* 28 stoecados *R.*

grana XX, petroselini p. X VI et victoriati, rutae silvaticae p. X trium semis, feniculi seminis p. X trium semis, dauci Cretici p. X IIII, anesi p. X II, cumini Aethiopici p. X II, rapae seminis p. X V et victoriati, napi silvatici seminis p. X III, anatis feminae ⟨sanguinis⟩ recentis p. X II, anatis masculi sanguinis aridi p. X III, haedi masculi sanguinis aridi p. X III, testudinis marinae sanguinis aridi p. X VI S, anseris masculi sanguinis aridi p. X III, mellis Attici quod satis erit. Facit ad omnia. Haec ego conposita habeo.

CLXXVIII. Quoniam antidotos, quas optimas scivimus, posui in facientibus ad omne malum [vitium aliud] medicamentum etiam ex multis rebus, simplicia quoque medicamenta et propria remedia monstrabimus. Interdum enim haec melius adversus quaedam quam antidotos faciunt. Trademus autem singulorum malorum medicamentorum epotorum signa, quo facilius intellegatur, quid quisque sumpserit et qua ratione adiuvari debeat.

CLXXVIIII. Cicutam ergo potam caligo mentisque alienatio et artuum gelatio insequitur ultimoque praefocantur, qui eam sumpserunt, nihilque sentiunt. Adiuvari autem debent in initiis vino mero subinde quam plurimo caldo et per se et cum pipere et cum styrace poto. Atqui maxime prodest lac asininum datum: si minus, vaccinum aut quodlibet. Oportet autem et alvum acri clustere ducere eorum et extra super ventrem inponere farinam hordeaciam vel triticeam coctam ex vino caldam.

CLXXX. Opium potum, quod quidam meconium vocant, ab odoris gravitate intellegitur: papaveris enim viridis, cuius sucus est, qualitatem repraesentat. Facit autem capitis gravitatem, gelationem et livorem artuum sudoresque frigidos manare. Praeterea spirationem inpedit, mentem

1 grana ·p· viginti *R*, *fortasse* n. (= numero). 5 sanguinis *inserui*. 12 vitium aliud *inclusi*. 13 rebus] *intercidisse videtur* conpositum. 14 medicamenta *suspectum*. monstrabimus *scripsi*: monstravi *R*. 19 Cicutam] *cf.* *Gal* XIV, 138 *K*. 27 ordeaciam *R*.

soporat sensusque abalienat. Adiuvari porro debent qui biberunt aqua cum oleo in vinum admixtis saepius datis et frequenter reiectis per pinnam aut lorum vomitorium. Prodest et vini cyathus et passi et olei cyathus eadem ratione datus. Item vinum et acetum pari mensura datum ex aqua mulsa cum rosa eiusdem mensurae, ita ut ista subinde cogantur reicere. Praeterea caput rosa et aceto sine intermissione curetur eorumque pedes adsidue fricentur manibus siccis aut linteo aspro involutis. Prodest et sinapi ex aceto tritum circumdatum pedibus cruribusque et a somni tempore prohibere, ne obsopiantur.

CLXXXI. Altercum, quod Graeci ὑοσκύαμον vocant, qui biberunt, caput grave venisque distentum habent; mente abalienantur cum quadam verborum altercatione: inde enim hoc nomen herba trahit altercum; postea sopiuntur et omni sensu carent livescentibus membris eorum. Adiuvantur autem lacte poto asinino quam plurimo vel quolibet alio recenti per se vel decocto. Sed ii prius aqua mulsa saepius pota cogantur per pinnam reicere. Opio laesi similiter curentur.

CLXXXII. Gypso poto stomachus venterque dolore vasto urgetur, frigidus sudor subsequitur, oculi sanguilenti conspiciuntur, urina alba redditur, concrescit in aliqua parte ventris quod potum est et tactu quasi saxum percipitur. Adiuvari autem debent, qui his malis vexantur, lixivio e sarmentorum cinere facto quam plurimo poto, item aqua thymum aut origanum decoctum habente.

CLXXXIII. Spuma argentea pota, quam Graeci λιθάργυρον dicunt, ventris infert gravitatem, inflammationem, postea dolorem cum urinae difficili exitu; procedente tempore coloris quidem quasi plumbei sunt, praecipue

2 aqua cum oleo] *cf. Gal.* XIV, 138; aqua et oleo in unum admixtis *Rhod.* 6 eiusdem *scripsi*: eius *R.* 12 Altercum] *cf. Gal.* XIV, 139. 14 abalienantur *Aldus*: abalienabuntur *R.* 22 sanguinolenti *Stephanus.* 26 lixivio] *cf. Gal.* XIV, 142 πλύνειν τέφρας κληματίνης ἀπήθημα. 28 Spuma argentea] *cf. Gal.* XIV, 142. 29 inflammationem] inflationem *Rhod.*

haec deformitas circa faciem deprehenditur; suppurant autem plurimae partes eorum. Adiuvantur secundum reiectionem aqua mulsa acrique curatione, pipere, murra, apii semine pondere pari in unum mixtis, ex eoque medicamento p. X unius dare ⟨oportet⟩ cum vini cyathis tribus quattuorve cotidie potis.

CLXXXIIII. Cerussam, quam Graeci ψιμύθιον vocant, qui biberunt, facile deprehenduntur: linguam enim albam habent commissurasque dentium albicantes. Praeterea nauseant, reiciunt poto medicamento, caligant, magis magisque vertigine quadam urgentur; postea spiritus via intercluditur et praefocantur. Adiuvantur autem post vomitum ab oleo vel ab aqua mulsa cremore ptisanae caldo largiore accepto, sed bene uncto, item lacte cum melle poto. Facit et malva discocta concisa sale et oleo pipereque condita et pro sorbitione data per se vel cum urtica herbaque Mercuriali. Prosunt et nucleorum persicorum interiora ex vino trita atque pota quam plurima, item lixiva calda ex cinere sarmentorum facta.

CLXXXV. Coriandrum datum apparet quidem ab odore spirationis totiusque corporis: redolet enim et hoc herbam ut infectum. Intellegitur autem ex gustu. Facit porro raucitatem et mentem movet. Adiuvari autem debent, qui biberunt, [ex] vino mero quam plurimo vel aqua marina vel muria dura pota; item ovis anserinis sorbilibus plurimum salis habentibus vel iure gallinaceo agninove quam pinguissimo et salsissimo per se poto.

CLXXXVI. Leporis marini gustus non absimilis illotis piscibus aut etiam putentibus. Qui sumpserunt autem stomacho vesicaque adficiuntur, ita ut urinam quidem difficulter et cum dolore purpureique coloris reddant. Stomacho item tento et dolenti sunt aversoque ab omni esca, praecipue pisce. Nauseant praeterea et subinde reiciunt

5 oportet *add. Rhod.* 7 Cerussam *Rhod.*: cerussa *R.* 18 lixiva *R* lixivia *Aldus.* 20 Coriandrum] *cf. Gal.* XIV, 139. 24 ex *delendum videtur.* quam *scripsi*: atque *R.*

spumosa, interdum biliosa aut sanguilenta et maxime cum simulavit aut nominavit aliquis piscem. In somnis littoris pulsi fluctus videntur subinde audire. Oculi eorum exulcerantur, genae inflantur, coloris mali et veluti plumbei fiunt minutatimque per tabem quasi phthisici consumuntur. Adiuvari autem debent hoc malo circumventi lacte muliebri vel equino vel vaccino aut asinino quam plurimo cotidie per se aut cum melle sumpto. Prodest et malvae sorbitio bene uncta et salsa. Item prosunt malorum Punicorum grana adsidue data. Bene facit et pix cedria, si quis inde bina ternave coclearia [eius] sumpserit per se vel ex passi cyathis duobus tribusve. Item bene faciunt iuniperi tritae quam plurimo cum passo aut per se datae.

CLXXXVII. Salamandra quibus data est, lingua exasperatur, corpus invalidum fit; praeter hoc torpet rigoribus quibusdam et livoribus quasi maculis variatur. Adiuvari autem debent, quibus inpacta est, melle quam plurimo per se vel cum resina ex pinu, cuius etiam tenera folia cum herba, quam Graeci χαμαίπιτυν appellant, decocta ex aqua mulsa prosunt. Item lini seminis farina ex aqua mulsa sumpta quam plurima bene adiuvat.

CLXXXVIII. Aconiti gustus est auster atque subamarus. Potum autem protinus facit corpus grave et displicens. Mordet autem stomachum et cor adficit; itaque sudor e vestigio insequitur multus et frigidus, maxime circa oculos et frontem apparet. Inflantur intestina et venti plurimum emittunt qui biberunt, capitisque dolorem habent cum vertigine quadam adsidue quidem, sed praecipue cum se e lectulo levare conantur. Proprium est autem huius mali medicamenti protinus lividos articulos et artus facere. Sed adiuvantur facile qui id sumpserunt ruta quam plurima pota cum vino, item iure gallinae pinguis vel bubulae. Prodest et his vinum chamaepityn decoctam in se habens,

1 sanguinolenta *Stephanus.* 6 lacte] *cf. Gal.* XIV, 139. 11 eius *inclusi*, inde *del. Rhod.*; *an scribendum* adsumpserit? 13 bacae iuniperi *Rhod.* 21 plurima *scripsi*: plurimum *R.* 26 apparet *Rhodio suspectum.*

item acetum melle mixtum, in quo ferri stercus, quod *σκωρίαν* Graeci vocant, ustum prius infervescat saepius et ita detur. Item proficit abrotoni pondo sextans ex vino datus et origani pondo sextans eodem modo datus. Praecipue autem adiuvabit, si quis coagulum leporis, hinnuli et porci in unum miscuerit et dederit ex vini hemina aut cyathis tribus 𐆖 I vel victoriati pondus.

CLXXXVIIII. Cantharides gustum et odorem similem pici e cedro factae habent. Potae stomachi dolorem morsusque excitant, praecipue vesicae. Quamobrem qui biberunt eas difficulter urinam et cum sanguine reddunt, exulcerata scilicet vesica; praeterea animo subinde linquuntur deficiuntque. Adiuvantur autem, cum saepius reiecerunt, passo cum oleo poto vel omni lacte, sed debent plurimum eius sumere. Item prosunt eis nuclei pini per se sumpti vel ex aqua mulsa aut ex passo triti et dati, item cucumeris semen purgatum et lini semen ex passo datum. Adiuvat bene et ius pingue agninum vel ex bubula factum et farina triticea pultis more cocta plurimum anserini adipis habens. Prodest et Samiae cretae p. 𐆖 quattuor cum passi cyathis quattuor mixtisque aqua datum, item oleum irinum ex ruta tritum et potum.

CLXXXX. Buprestis gustus est nitri similis; facit autem tumorem stomachique infinitum dolorem et inflat totum corpus in speciem hydropici. Adiuvantur aqua ficus aridae decoctae et ipsa ficu plurima sumpta, item passo plurimo et lacte muliebri et iure suillo pingui accepto et nitri pondere 𐆖 quattuor cum aquae hemina dato et ceteris, quae supra ad cantharidas scripta sunt.

CLXXXXI. Dorycnion gustum quidem habet lactis, potum vero singultus crebros facit et vomitus frequenter

4 datus *scripsi bis*: datum *R bis*. 5 hinuli *R*. 7 𐆖 I] 𐆖 ·p· I *R*. 8 Cantharides] *cf. Gal.* XIV, 151 Cantarides *R*. 16 et *om. Stephanus*. 20 habens *scripsi*: habente *R*. 23 Buprestis] *cf. Gal.* XIV, 141. 26 plurima *scripsi*: plurimum *R*. 27 plurimo *ego*: plurimum *R*. 28 pondere *scripsi*: p°. *R*. 30 Dorycnion] *cf. Gal.* XIV, 140.

concitat. Reiciunt autem ab stomacho ramenta, quae etiam simillima torminosis, subindeque animo deficiuntur. Adiuvari autem debent laesi eo lacte asinino, equino, bubulo, conchyliis omnibus crudis atque decoctis.

CLXXXXII. Ixia, quam quidam chamaeleonta vocant, odorem habet, cum sumitur, ocimi, pota autem linguae tumorem facit. Mentem abalienat ventremque et omnes naturales exitus supprimit. Adiuvantur autem laesi ab ea absinthio poto cum vino, item castorei pondere X̶ II dato ex vini cyathis quattuor et rutae fruticibus quinque vel sex. Facit bene et chamelea pondere X̶ trium ex vini cyathis tribus aqua mixtis nec minus radix laseris ex vino data, tragoriganum eodem modo datum.

CLXXXXIII. Ephemeron potum protinus quidem totum os prurire facit velut scilla tactum, postea etiam adurit quasi pipere manducato; secundum haec quoque stomachum mordendo exulcerat, atque qui id biberunt primum ab ore sanguinem expuunt, deinde ex stomacho cruorem reiciunt, postea per sellas etiam abundantius eundem deiciunt. Adiuvabuntur autem laesi ab eo polygonii suco quam plurimo per se poto vel arido trito pondo librae dato cum aqua. Praemacerantur autem mala Cydonea aut vitis capreoli aut murti bacae aut eiusdem folia.

CLXXXXIIII. Toxicum cuius sit gustus, haud facile quivis dixerit. Verum cum potum est, e vestigio ciet dolorem omnium interaneorum infinitum et velut telo traiectorum concitatque mentis furorem cogitque exululare et palpitare lingua similiter decollatorum capitibus: nihil enim potest intellegi ex voce eorum. Adiuvantur autem qui id biberunt, rosa pota aut oleo irino coactique frequentius reicere, item alvo acri clysmo saepius ducta, postea passo, lacte et antidoto Mithridatio.

2 deficiunt *Nicol. Leonicenus.* 6 ocymi *R.* 9 pondere *ego*: p°. *R.* 10 vini *scripsi*: vino *R.* 11 pondere *ego*: p°. *R.* 17 biberunt *ego*: biberint *R.* 19 etiam *scripsi*: et iam *R.* 20 polygoni *Rhod.* 23 cydonia *R.* myrti *R.*

CLXXXXV. Pharicum et ipsum dicitur ex conpluribus conponi gustumque habere nardi. Potum autem facit spasmon, cito exanimat. Adiuvantur vero laesi ab eo saliunca, id est nardo silvestri, quam plurima ex vino saepius data, item olusatri radice aut semine ex vino dato. Bene facit et hoc medicamentum: Galbani puri p. X duum, murrae p. X unius cum passi cyathis quattuor datum pondere X unius [et]. Hoc etiam ad omne ⟨malum⟩ medicamentum facit.

CLXXXXVI. Tauri sanguinis potum quamvis quis difficile celaverit, hunc tamen vestigia cruoris relicta inter dentium commissuras produnt. Nauseant autem et praefocantur qui biberunt, cum gelatur. Sed adiuvantur aceto calido saepius poto et iniecto per se vel cum nitro laserisve radice.

CLXXXXVII. Lac potum et gelatum odore spirationis, si non confitebitur qui laborat, cognoscetur; praefocantur autem et hoc homines. Adiuvari autem debent, qui ab eo laborant, menta quam plurima saepius sumpta, item coagulo agnino, leporino, porcino, victoriati pondere ex aqua bis terve dato. Prodest et laseris radix cum posca et alvus acri clysmo ducta.

CLXXXXVIII. Fungis venenatis cum quis laborat, primum nauseat nec quidquam magnopere reicit; postea stomachi ventrisque et praecordiorum infinitos habet dolores, manant sudores frigidi per artus, qui et ipsi gelantur celerrime, nisi cito succurratur. Adiuvantur autem radice ea, quam nos edimus, acri quam plurima per se vel cum sale manducata eiusque semine, si ipsa non fuerit, poto ex vino. Item ruta ex aceto trita et pota proficit nec minus lixiva cineris ex sarmentis pota. Adiuvat et nitrum aceto dilutum et datum eodemque modo aeris flos datus et mel cum aceto dilutum quam pluri-

8 pondere *ego*: p°. *R* et *inclusi.* 9 malum *addidi.* 11 difficile] *scribendum videtur* non difficile *aut* facile. 19 ea *R.* 25 stomachi *Rhod.*: stomachum *R.* habet *Aldus*: habent *R* 31 lixiva *R* lixivia *Aldus.*

mum devoratum. Oportet autem et oleo ante multo poto cogere eos reicere, quantumcumque potuerint, et eodem caldo subinde artus perunctos pressius fricare.

CLXXXXVIIII. Hirudinem, quam quidam sanguisugam vocant, devoratam et adhaerentem faucibus eoque ipso molestiam titillationemque quandam praestantem excutere oportebit aceto quam plurimo epoto per se vel cum sale aut nitro aut lasere. Idem faciunt et nivis glebulae quam plurimae devoratae.

Medicamentorum malorum non nocet nominum aut figurarum notitia, sed ponderis scientia. Hanc porro medicus nec quaerere nec nosse debet, nisi diis hominibusque invisus merito esse vult et contra ius fasque ⟨fines⟩ professionis egredi. Illas autem, figuras dico et nomina, necesse est ei scire, ut et ipse devitet, ne per ignorantiam aliqua sumat et aliis idem praecipere possit: hoc enim proprium est medicinae et illud exsecratissimi pharmacopolae ⟨e⟩ contrario oppositi virtuti eius, ut et in ceteris artibus animadvertitur: nulla enim est, quae non habeat adversantem sibi sub specie similitudinis malignam professionem.

CC. Quotiens autem suspicio mali medicamenti accepti fuerit, primum adsumere oportet, quae nauseam faciunt, vel oleum per se vel cum aqua et reicere; deinde ea, quae ventrem molliunt, tamquam lac, album ius pingue et salsum, chameleam non cessantem inicere clystere; postea remedia propria ad singula quaeque et antidotos sumere.

Implicitas medicinae partes inter se et ita conexas esse, ut nullo modo diduci sine totius professionis detri-

3 pressius *Rhod.*: expressius *R*; *an scribendum*: diutius et pressius? *cf. c.* 253. 4 Irudinem *R*. 9 plurimae *scripsi*: plurimum *R*. 13 fines *addidi*, professionem egredi *Rhod.* 16 aliqua *scripsi*: aliquam *R*. 18 e *addidi*. 20 sub *Scioppius*: sua *R*. 22 quoties *R*. 23 accepti *Rhod.*: accepta *R*. 26 chamaeleam *R*. 27 quaeque *scripsi*: quoque *R*. 30 esse constat *R*, *glossema manifestum sustuli*.

mento possint, ex eo intellegitur, quod neque chirurgia sine diaetetica neque haec sine chirurgia, id est sine ea parte, quae medicamentorum utilium usum habet, perfici possunt, sed aliae ab aliis adiuvantur et quasi consummantur. Itaque quamvis ex magna parte ad diaeteticos pertinentes conpositiones iam exhibuerimus, tamen quasi claudicat et vacillat hic liber, nisi eas quoque conpositiones, quae ad chirurgos pertinent, posuerimus, quarum initium ex emplastris faciemus.

CCI. Emplastrum chirurgi Tryphonis subviride, quod facit, cum vulnus ita actum est, ut os laedatur vel frangatur, praecipue calvariae: κεφαλική ideo a Graecis dicitur. Idem si os scabrum aut putre vetustate vitii factum est, expurgat et educit, quantum eius alienum est; facit praeterea ad canis morsum et ad ulcus recens molle: Squamae aeris Cyprii p. 𐆖 XII, turis p. 𐆖 VI, ammoniacae guttae p. 𐆖 VI, resinae pituinae, id est ex picea arbore, p. 𐆖 X S, resinae terebinthinae p. 𐆖 VI, adipis vituli pondo quadrans, cerae pondo triens, olei pondo semuncia, aceti cyathus unus et dimidius. Acetum intritum consumatur ad omnia, quae teri debent, dum levia habuerint mellis spissitudinem; cera et utraque resina cum adipe purgato et oleo liquescant et incoquantur, donec habeant spissi cerati temperaturam, ferventia superfundentur rebus, quae sunt in mortario, minutatim et pistillo subinde, dum calet, permiscebuntur atque ita, dum desinit fervere, emplastrum manibus subigetur et redactum in rotundas ampliores, quas magdalias dicunt, reponetur.

CCII. Emplastrum Megetis chirurgi subviride ad eadem facit. Conponitur similiter, accipit haec: Squamae aeris Cyprii p. 𐆖 XXV, ammoniaci guttae p. 𐆖 XXV, ter-

3 habet *Aldus*: habent *R*. 4 consumantur *R*. 10 Triphonis *R*. 11 factum *Rhod.* 15 squamae *ego*: squama *R*. 17 𐆖 X *Rhod. deleta* S *nota.* 21 debent *scripsi*: debeant *R*. 26 et permiscebuntur *R* et *del. Rhod.*; *possis etiam suspicari legendum esse:* ⟨agitabuntur⟩ et permiscebuntur. 28 magdalias *Georges*: magdalidas *R*.

rae mali, quod ἀριστολοχίαν Graeci dicunt, p. X XX, iris p. X XX, aluminis fissi p. X XX, murrae p. X XXII, resinae terebinthinae p. X IIII, pituinae resinae p. X IIII, adipis taurini p. X IIII, cerae p. X IIII, olei veteris sextarium unum, aceti acris sextarios IIII. Conponitur hoc medicamentum, cum caniculae sidus oritur, teritur in sole, donec acetum omne consumatur. In quibusdam hoc emplastrum efficacius, in quibusdam superius positum invenitur.

CCIII. Emplastrum viride Tryphonis facit ad vulnera recentia, quo utebatur etiam in gladiatoribus, coloris boni, εὔχροον ideo etiam appellabat. Recipit haec: Aeris usti pondo sextantem, aluminis rotundi pondo sextantem, salis ammoniaci pondo sextantem, turis pollinis pondo sextantem, aeruginis rasae pondo trientem. Haec teruntur ex aceto aliquot diebus; postea cerae pondo dua, resinae frictae pondo dua cum olei veteris pondo dextante liquefacta ad ignem mortario superfunduntur et mixta manibus subiguntur.

CCIIII. Emplastrum viride Thraseae chirurgi ad recentia ulcera minus acre: Aeris usti p. X XII, salis ammoniaci p. X VIIII. Haec terere aceto per aliquot dies oportet, donec viridis color appareat, postea adicere aluminis fissi p. X VII. Ubi iam omnia levia facta fuerint et mellis liquidi temperaturam habuerint, cerae pondo libra, resinae frictae pondo libra cum olei cyathis quinque liquefacta super ea adiciuntur et rursus mortario subiguntur, refrigeratumque manibus subigitur ac reponitur.

CCV. Emplastrum viride Tryphonis facit ad recentia vulnera, morsus hominum, sed praecipue ad vetera ulcera, quae nullo modo cicatricem ducunt et callos eminentes circa se habent. Oportet autem tunc non linteolo, ut cetera, inlinere, sed dilatatum magis manibus in magnitudinem vulneris satis crassum inponere superque linteola

10 Triphonis *R* 16 duo *Aldus.* 18 ad ignem *scripsi*: ab igne *R.* 20 Traseae *R.* 29 Triphonis *R.*

carpta plurima, deinde spongeam novam ex verbenis murto oleaque factis. Constat ex his: Aeruginis p. X IIII, squamae aeris p. X VI, turis pollinis p. X VI, galbani p. X IIII, aluminis rotundi p. X IIII, resinae pituinae p. X XXV, cerae p. X XXV, olei pondo sextante, terebinthinae pondo selibra, aceti quod satis est. Conponitur eodem modo, quo et superius scripta viridia emplastra sunt.

CCVI. Emplastrum viride Glyconis chirurgi, quod sui generis meo iudicio superat omnia, vocatur Isis. Accipit haec: Aeris usti, aeris Cyprii, aeruginis rasae, salis fossicii, guttae ammoniaci, turis masculi, mali terrae rotundi, quae *ἀριστολοχία στρογγύλη* Graece dicitur, mali terrae sarmentorum, quibus unguentarii utuntur, dicitur autem aristolochia clematitis, aluminis rotundi, singulorum pondo unciam, murrae, galbani, aloes, singulorum pondo sextantem, cerae pondo trientem, resinae colophoniae pondo IIII vel dua et bessem, olei sextarium unum. Haec enim galbano, resina, cera et oleo super ignem liquefactis miscentur mortario, praeterea ceteris ex aceti sextario uno. Facit hoc emplastrum ad detectam membranam tegentem cerebrum de industria a medicis, cum terebratu exciditur quod laedit eam os, vel alioquin detectam rosa dilutum et inpositum. Item facit ad capitis diutinum dolorem, quem *κεφαλαίαν* Graeci appellant, dolenti loco raso superpositum nec minus dies viginti. Item facit ad oculorum imminentes epiphoras superpositum frontibus. [Ceteras] eodem modo sanguinis eruptiones e naribus adiuvat et ulceribus factis eiusdem partis rosa dilutum prodest nec minus angina correptis faucibus extra superpositum et toto collo. Parotidas initia habentes discutit, suppuratas iungit, si quis emissarium collectionis apto loco, id est infra sinum, ubi collectio est, fecerit, quod *ὑπόχυσιν* Graeci dicunt. Eadem ratione suppurationibus

1 spongiam *R.* 8 Glyconis chirurgi *e lemmate in textum intuli.* 17 duo *Aldus.* 18 enim] autem *Rhod.* liquefactis *Rhod.*: liquefacta *R.* 24 *κεφαλαίαν scripsi*: *κεφαλαλγίαν R.* 27 ceteras *inclusi.*

in mammis mulierum futuris aut factis prodest, iungit omnem partem divisam et fibulis artatam, praecipue cum intestina prolapsa et reposita sunt, atque sartum vulnus, quod a Graecis dicitur γαστρορραφία. Lateris, stomachi, ventris, iecinoris, lienis dolorem sedat. Adiuvat coeliacos, torminosos ventri toto circumdatum. Item vesicae tumenti prodest. Eodem modo lumborum dolorem levat. Ad luxatum omne et eiectum et repositum articulamentum bene facit et ad podagram praeter quodvis aliud medicamentum satis convenit et huic mirifice prodest. Fistulas rosa dilutum sanat. Ad carbunculos et cancer inponendum est: purgat enim nec patitur latius serpere; vetera ulcera cicatricem ducere cogit. Punctus nervorum ⟨et⟩ musculorum, qui periculosissimi sunt, quos νύγματα Graeci dicunt, sine incisione aut divisione sanat cyprio oleo dilutum. Ad nervorum vitia omni acopo melius facit.

CCVII. Emplastrum nigrum eius, barbara dicitur, facit ad omne recens vulnus et contusum; hoc plerique in gladiatoribus utuntur: Picis Bruttiae p. X̶ C, resinae frictae p. X̶ C, bituminis Iudaici p. X̶ C, cerae p. X̶ C. Haec concisa in minima frusta coquuntur cum olei sextario uno, donec spissentur; quibus depositis ab igne et desinentibus nimis fervere adicitur spumae argenteae p. X̶ X, cerussae p. X̶ X, aeruginis p. X̶ V. Haec autem cum aceti hemina terere oportet et minutatim aspergere, ne effervescat medicamentum. Ubi his adiectis et intermixtis intepuerit medicamentum, opopanax oleo dilutus exiguo pondere X̶ duum adicietur; deinde refrigeratum et manibus subactum [medicamentum] et in partes divisum reponitur. Huic ergo emplastro cum ita conpositum est, dum adhuc modice calet, adicito turis pollinis pondo trientem et mirum quanto efficacius est: sine dolore atque tumore conservat vulnera et celerius sanat.

2 arctatam *R.* 13 et *add. Rhod.* 16 omni *Rhod.*: omnia *R.* 17 barbara] *cf. Cass. Fel. c.* 31. 21 frustra *R.* 24 Haec *Rhod.*: Et haec *R.* 28 pondere *scripsi*: p°. *R.* et manibus *Rhod.*: manibus et *R.* 29 medicamentum *inclusi.*

CCVIII. Emplastrum nigrum Thraseae chirurgi facit ad omnia recentia vulnera, proprie autem ad nervorum ⟨et⟩ musculorum punctus, contusiones, luxa, et in totum tumorem non patitur fieri, articulos incisos iungit. Item et gladiatorum et omnium hominum ad periculosa vulnera mirifice facit, sinus veteres et fistulas iungit interius iniectum primum et postea extra positum: Cerae pondo IIII, picis Bruttiae pondo IIII, resinae frictae pondo IIII, bituminis Saguntini, quod est natura liquidum, pondo IIII, cerussae, aeruginis, chalcitidis, misyis, aluminis fissi, aluminis rotundi, melanterias, quae creta sutoria dicitur, qua ligulae calceolorum denigrantur, gallae Syriacae, singulorum pondo libra. Haec aceto teruntur, donec levia fiant. Quibus mellis habentibus spissitudinem cera atque alia, quae igne liquefiunt, bitumenque super ignem solutum superfunduntur iis, quae sunt in mortario; postea medicamentum manibus subigitur et reponitur vase fictili acetum habente.

CCVIIII. Emplastrum nigrum Aristi chirurgi facit ad omne recens vulnus mirifice, ad punctus nervorum et ad musculorum, item ad contusum, luxum, praecipue ad ossa fracta. Sine alligatura enim interdum dimidio celerius sanat ea et sine dolore servat, iungit sinum. Habet autem haec: Spumae argenteae p. 𐆖 CC, aluminis fissi p. 𐆖 XXX, picis Hispanae p. 𐆖 C, bituminis Iudaici p. 𐆖 C, propolis p. 𐆖 XXX, aeruginis p. 𐆖 X, cerae p. 𐆖 C, am-

1 nigrum *e lemmate in textum recepi.* Traseae *R*; *cf. Gal.* XIII, 741: *ἡ Ἰνδὴ Θαρσέου χειρουργοῦ πρὸς τὰς προειρημένας διαθέσεις· κηροῦ, ῥητίνης φρυκτῆς, πίσσης ξηρᾶς, ἀσφάλτου ὑγρᾶς Ζακυνθίας ἑκάστου λίτρας β', ψιμυθίου, ἰοῦ, χαλκίτιδος, μίσυος ξενικοῦ, μελαντηρίας, στυπτηρίας καὶ σχιστῆς καὶ στρογγύλης, κηκίδων ὀμφακίδων, σιδίων, ῥοῦ, λιβάνου ἑκάστου ἀνὰ ἡμίλιτρον, ὄξους ὅσον ἐξαρκεῖ. τὰ τηκτὰ ἕψε μέχρις ἀμολύντου, τὰ δὲ ξηρὰ κόψας καὶ σήσας λεπτοτάτῳ κοσκίνῳ ὄξει φυράσας ἀναλάμβανε τοῖς τηκτοῖς.* 3 et *add. Rhod.* 4 Item *scripsi*: Idem *R.* 9 Zacynthii *Rhod. coll. Gal. l. l. Plin.* 35, 178 *Dioscorid.* I, 99. 10 misyis *Aldus*: mysiis *R.* 16 iis *scripsi*: his *R.*

moniaci guttae p. X̶ XXIIII, terebinthinae p. X̶ L, olei veteris sextarios quattuor. Oleo infervescit spuma argentea trita curiose, deinde adicitur bitumen et ipsum contusum et tritum. Ubi haec cerati mollis habent temperamentum, pix adicienda est, deinde cera et propolis, postea ammoniacum, a quo aerugo; ultimum alumen aspergitur. Oportet autem ubi tumor suspectus est, lanam sucidam ex vino sine oleo superponere.

CCX. Emplastrum nigrum Tryphonis, basilicon appellatur, facit ad contusa et canis morsum et furunculos. Idem rosa dilutum explet concava vulnera: Picis Bruttiae p. X̶ XL, resinae p. X̶ XL, galbani p. X̶ II, olei cyprei pondo sescuncia. Cum oleo communi pix liquefit et coquitur, donec coeat; post hoc resina adicitur; deinde ⟨cum⟩ emplastri habet temperamentum, deponitur caccabus et tepente medicamento galbanum dilatatum, ne uno loco subsidat, adicitur.

CCXI. Emplastrum nigrum, quod *τετραφάρμακον* dicitur, facit ad eadem. Recipit haec: Cerae, picis, resinae frictae paria pondera, adipis taurini dimidium; una omnia coquuntur, donec emplastrum fiat.

CCXII. Emplastrum Dionysi chirurgi facit ad mediocria vulnera et in teneris corporibus puerorum. Idem iungit belle vulnera et sine tumore servat: Spumae argenteae p. X̶ CXX, olei sextarios duos. Haec super ignem moventur, donec cerati habeant temperaturam; post hoc adicitur aluminis p. X̶ XLV et decoquitur, usque dum rufum medicamentum fiat. Post haec adicitur resinae colophoniae p. X̶ XLV, cerae p. X̶ XLV. Ubi emplastri omnia habuerint spissitudinem, deponitur caccabus et

9 Triphonis *R.* basilice *R in indice.* 13 pondo sescuncia *ego*: X̶ p°. sescuncia *R.* pix *scripsi*: X̶ p. IX *R.* liquefit *scripsi*: liquefiet *R.* 14 cum *addidi.* 15 habet *scripsi*: habens *R.* 18 Emplastrum nigrum Aristi chirurgi *R in indice et lemmate.* tetrapharmacos *R in indice.* 28 medicamentum *glossema videtur.*

tepente medicamento [et cum desierit fervere], adicitur galbanum minutatim dilatatum, quo facilius solvatur, pondere X̶ quattuor.

CCXIII. Alterum rubrum medicamentum, quo venatores utuntur, facit ad canis morsum et omnium quadrupedum; item et ad offensionem in stirpe et cetera vulnera mediocria: Spumae argenteae pondo quinque semis, olei veteris pondo dua. Haec coquantur, donec coeant; deinde adicitur aeris squamae pondo uncia et coquitur, donec colorem rufum sumat; postea adicitur cerae pondo triens, resinae frictae pondo duo, ammoniaci guttae, deposito paulisper caccabo, pondo quadrans, et rursus reposito ad breve tempus atque iterum deposito et non fervente galbani divisi in minimas partes pondo sextans.

CCXIIII. Emplastrum coloris incerti facit ad omnia mediocria vulnera, quadrupedum morsus, contusa vel incisa articulamenta, ut fit, cum ad dentem pervenit pugnus. Idem ad furunculos mire facit et strumas omnemque duritiem discutit, si id quis perseveranter inponat. Item cicatricem ducit diutini ulceris et in totum ad omnia levia in cotidianos usus mirificum est: tumorem non patitur fieri neque pus; haeret, ut fascia non sit opus; in balineo non excidet. Hoc ipsum est, quod tu desiderasti: Olei veteris pondo quinque, spumae argenteae pondo quinque. Haec coquuntur, donec coeant, postea adiciuntur his resinae pituinae pondo quinque. Ubi emplastri habet temperamentum, adicitur propolis inalienatae [sincerae] et bonae, qualis est Attica, pondo selibra, deinde in caccabo

1 *verba uncis inclusa ab interprete addita esse coniec. Rhod.* 2 pondere *scripsi*: p°. *R.* 6 item *Aldus*: idem *R.* 12 galbani item divisi in minimas partes et rursus reposito ad breve tempus atque iterum reposito et non ferventi galbani pondo sextans *R*; *locum corruptum utcumque emendavi.* 23 Olei] *cf. Gal.* XIII, 930 *ἄλλη διαφορητική, ὡς Σκριβώνιος· λιθαργύρου λίτρας ε΄, ἐλαίου λίτρας ε΄, πιτυίνης ξηρᾶς λίτρας ε΄, προπόλεως λίτρας η΄, τῆς* (leg. *ἰξίας*) *δρυίνης γο γ΄.* 25 adiciuntur *scripsi*: adicitur *R.* 27 sincerae *glossema esse vidit Boettiger.*

deposito visci de quercu lecti pondo quadrans. Hoc semper habeo compositum.

CCXV. Emplastrum luteum Euelpisti chirurgi facit ad tenera corpora mediocriter laesa et abrasa, quae *ἀποσύρματα* Graeci dicunt: Spumae argenteae pondo selibra, olei hemina coquuntur, dum coeant; deinde adiciuntur cerae pondo duo, resinae pituinae pondo duo.

CCXVI. Emplastrum, quod aperit et educit pus vel si quid aliud subest; *ἐπισπαστικὸν* dicitur: Cerae pondo libra, resinae terebinthinae pondo libra, nitri rubri pondo libra. Hoc teritur ex cinere lixiva, donec leve factum habeat mellis spissitudinem; postea supra dicta cum olei cyathis sex liquefiunt ad ignem, quibus adicitur turis pollinis selibra et ita, quae in caccabo sunt, mortario superfunduntur et commiscentur.

CCXVII. Emplastrum album ex sale — *δι' ἁλῶν* Graeci dicunt — facit ad omnem duritiem et diutinum dolorem et ducit sudores, idem ulcera vetera et callosa renovat et facilius aliis medicamentis, quae hoc pollicentur, cogit cicatricem ducere: Salis marini, cerussae, olei veteris paria pondera. Coquitur cum oleo cerussa, donec coeant, et postea sal admiscetur.

CCXVIII. Emplastrum aliud ex sale nigrum efficacius, idem ad omnia facit; sed recipit singulorum pondo libram similiter, olei autem veteris triplex adicitur.

CCXVIIII. Emplastrum album ad combusta et perniones: Cerussae pondo libram, olei murtei pondo libram, spumae argenteae p. Ӿ XXIIII, cerae Ponticae pondo libram. Cerussa et spuma argentea coquuntur cum oleo, donec coeant; postea adicitur cera.

CCXX. Emplastrum album Paccii Antiochi, quo uti oportet, cum in mammis mulierum aliove quovis loco duritia fuerit, quae ad omne medicamentum exasperatur, quam Graeci *καρκίνωμα* aut *κακοήθες* vocant. Facit etiam

22 coeat *Stephanus*. 31 Pacchii *R*. 34 etiam *Boettiger*: autem *R*.

ad combusta et vetera ⟨ulcera⟩ omnia, quae non facile cicatricem ducunt; item ad ulcera ex frigore vel per se facta, praecipue vero ad ani vitia difficilia et vetera rosa dilutum: Cadmiae botryitis p. X̶ VIII, pompholygos Cypriae p. X̶ VII, molybdaenae lotae p. X̶ V, turis masculi p. X̶ IIII, cerussae p. X̶ LXX, spumae argenteae p. X̶ L, cerae Ponticae p. X̶ VIII, resinae terebinthinae p. X̶ VII, olei murtei p. X̶ C, alterci albi, iridis, sertulae Campanae, terrae mali, papaveris silvatici capitum corticis, singulorum p. X̶ VI. Quae sunt dura, teruntur ex vini veteris sextario uno, in quo die et nocte macerentur. Cum levia facta fuerint et mellis spissitudinem habuerint, tunc murteum oleum minutatim in mortario adiciatur et cum fuerint temperaturae liparae, medicamentum coniciatur in novo fictili caccabo et coquatur pruna non nimis acri moveaturque sine requie, ne aduratur; cum emplastri temperaturam habuerit, resinae cera adiciatur.

CCXXI. Emplastrum ad combustum mirifice facit; cum multis usus sim, nullum magis probo: protinus enim inpositum mitigat, postea tollit dolorem statimque infinita celeritate persanat: Spumae argenteae pondo selibram, adipis suilli purgati pondo selibram, cerae Ponticae pondo selibram, ovorum assorum vitellos sex, quos terere oportet et miscere spumae argenteae tritae et ceram cum adipe liquefacere, deinde pati coire, postea in unum miscere.

CCXXII. Lipara ad intertrigines et exasperationem ⟨et⟩ tumorem ani mirifica: Spumae argenteae pondo triens, cerussae pondo triens, turis pollinis pondo triens, aluminis fissi pondo quadrans, adipis suilli curati pondo quadrans, vini austeri veteris heminae tres, rosae sesquilibra, olei acerbi selibra. Teruntur spuma, cerussa, alumen ex vino; deinde adicitur tus minutum et cretum et cum primum

1 ulcera *addidi.* 4 botryitidos *Rhod.* 10 *verba* Quae sunt — macerentur *ante* alterci albi e. q. s. *collocat R*; *huc transponenda esse statuit Rhod.* 14 in *omittendum aut scribendum* novum fictilem caccabum *censuit Rhod.* 24 tritae et *ego*: et tritae *R.* 27 et *addidi e M* atque *R in indice.*

haec levia paruerint, cum oleamentis ex vino adipem liquefactum cum rosae pondo quadrante miscere in unum oportet.

CCXXIII. Lipara rufa facit ad fissuras ani diutinas, quas ῥαγάδας dicunt; eadem ad eiusdem partis exulcerationes et vitia diutina bene facit: Spumae argenteae p. 𐆖 XXXVI, cerussae p. 𐆖 VI, chalcitidis ustae p. 𐆖 VI, misyos p. 𐆖 VI, resinae terebinthinae p. 𐆖 XII, cerae p. 𐆖 VI, olei murtei sextarii II, aquae pondo sextans. Cum aqua teruntur quae prima posita sunt et olei pondo dimidio, cum reliquo oleo cera et terebinthina liquefacta mortario superfunduntur.

CCXXIIII. Ad condylomata facit bene elaterium sincere, quod est sucus cucumeris silvatici conpositus rationeque in pastillos redactus, ex aceto dilutum et perunctum; item propolis per se subacta et more emplastri inposita.

CCXXV. Facit bene et resinae terebinthinae p. 𐆖 VI, cerae idem, in unum cocta igni, quantum possunt gagatis lapidis triti recipere. Multis et iris contusa et ex vino mixto cocta et posita velut farina hordeacia profuit. Facit et Andronium medicamentum, quod initio posuimus, ad condylomata vino dilutum bene.

CCXXVI. Hoc medicamentum mirifice prodest: Aluminis melini p. 𐆖 C, chalcitidis p. 𐆖 L, faeculae p. 𐆖 L. Teritur aceto; cum opus est, vino aut aceto diluitur.

CCXXVII. Haemorrhoidas sic curare oportet. Medicamento perunguantur: Centaurii suci p. 𐆖 II — haec herba

1 apparuerint *Boettiger*. 5 ad *R in indice* et *in textu* ad omnes *M*. 7 mysios *R* misui *L*. 9 sextarios S II *et nomine et signo sextarii quod est* ϛ *posito R*, S *delev. et nominativum restituit Rhod.* 10 pondere *M*; *an* pondo *delendum*? 11 liquefacta *M*: liquefacto *R*. 13 sincere *L*: sive cera *R* sincerum *Cornarius*. 18 unum *M*: vinum *R*. quantum oportet et adiciuntur his gagatis lapidis triti 𐆖 IIII *M*. 20 mixto *ego*: mixta *R*. cocta ex posca *Rhod*. ordeacea *R*. 24 *ponderum ratio verisimilior apud Marcellum haec est*: alum. mel. 𐆖 II, chalc. 𐆖 I, faec. 𐆖 I. 27 suci *M*: succo *R*. 𐆖 II *M*: pondo duum *R*.

latine fel terrae dicitur et ubique in agris nascitur; est autem tenuis multorum ramorum in rectum surgentium, florem habet exiguum purpureum — absinthi suci p. X II, aluminis liquidi p. X II, herbae pedicularis p. X II, misyis p. X I, mellis quantum ad conprehendenda ea satis erit. Hoc peruncto interius ano aut lana tincta interius trusa, cum desederint ad sellam et paruerint totae, medicamento rursus bene tangendae sunt undique et praecipue radices earum, quas basis dicunt, specilli latitudine, subinde hauriente medico cumulate medicamentum et adstruente inprimenteque, donec conbibant: totum enim in eo est, ut ab omni parte saturentur. Est autem hoc medicamentum: Chalcitidis ustae p. X IIII, aeris floris usti p. X IIII, misyis usti p. X III, aeris squamae p. X II, diphrygis p. X II, soreos usti p. X II, auripigmenti p. X II. Haec omnia teruntur et sicca, ut dixi, haemorrhoidibus inprimuntur undique, post hoc tenue simplex rarum linteolum inponere oportet et super hoc panem autopyron ex aqua maceratum et tritum rosaceo oleo adiecto. Hoc medicamentum sine magno labore circa septimum diem cadere cogit haemorrhoidas. Oportet autem bis die panem inponere, nonnumquam in nocte, si circum tensionem senserint; a quarto die auriscalpio averso, quam partem *κυαθίσκον* Graeci vocant, sensim temptare movere abalienatas oportet, quo celerius excidant [haemorrhoides]. Hoc medicamentum omnem carnem ex omni parte corporis exulceratam et excrescentem et eminentem sine magno morsu tollit.

CCXXVIII. Si quando non exulceratas eminentias

3 absinthi *L*: absinthii *R*. 5 comprendenda *R*. 6 interius *M*: et interius *R*. 7 desederit quis *M*; *an* desederit (*sc. aeger*) *scribendum*? paruerint *L*: apparuerint *R*. 9 quas basis (vasis *L*) dicunt *M*: carbasis ducunt *R*. 10 cumulate *Cornarius*: cumulatae *L* cumulante *R*. 11 eo *M*: ea *R*. 13 misui *L*. 17 rasum *M*. 22 nonn. et in noctem *M*. 23 a quarto *Rhod.*: quarto *M* aquario *R*. 24 abalienatas *scripsi*: abalienatam *R* eas *M*. 25 haemorrhoides *om. M*, *inclusi*. 26 ex *M*: et *R*. 27 et eminentem *om. M*.

tollere sine ferro voluerimus, ut verrucas, naevos aliave eius generis, hoc medicamento utimur: Calcis vivae p. X VI, faeculae p. X III, nitri usti p. X III. Haec terere oportet ex cinere lixiva ex caprifico vel sarmentis, donec levia passi habeant temperamentum, deinde adicere rubricae aut atramenti, quod possit colorare ea, deinde patella fictili coquere ad mellis spissitudinem atque puxide nigri plumbi reponere. Melius autem recens facit, cuius usus est talis: Quod destinatum erit tollere, id ipsum specillo oblinetur crassius, ex intervallo penicillo abstergetur et cum satis nigrum ⟨et⟩ quasi perustum visum fuerit, desinere oportebit inponere res et abstergere et panem ex aqua inponere et rosa. Hoc et strumas sanat, antequam suppurent. Oportet autem, cum hoc medicamentum crustam fecerit in strumis, nullum aliud [medicamentum] adhibere: sanae enim ita fiunt.

CCXXVIIII. Cum vero aliqua pars suppuraverit et timidus fuerit ad sectionem cui id acciderit, viscum quam plurimum colligere oportebit eumque cum cinere lixiva diutius terere et aluta inductum inponere ita formata et in tantum spatium circumsecta, quantum et quale volumus ulcus, id est emissarium vomicae fieri et ea parte scilicet inponemus, quam tum necesse erit aperire. Hoc eodem medicamento saepe dolores diutinos pectoris, lateris, lumborum sustuli, cum ad nullum malagma aut auxilium cedebant: exulcerata enim minima parte cuiusque dolentis loci ⟨cum⟩ humoribus postea vitium veluti eiciebatur.

CCXXX. Melior tryphera — hoc enim nomine superius positum medicamentum appellatur — facit ad omnia, quae ferro debent tolli sine magno dolore, item haemorrhoidas

1 nevos *L.* 2 utemur *M.* 3 nitri *M*: vitri *R.* 7 pyxide *M.* 9 ipso *M.* 11 et *addidi e M.* perustum *M*: perunctum *R.* 15 crustam *M*: causam *R.* medicamentum *inclusi*, *om. M.* 19 lixiva *scripsi*: lixivi *R* lixivo *vel* lixivio *Rhod.* 23 quam tum *Rhod.*: quantum *R.* 27 cum *addidi e M.* 28 triphera *R.* nomine *R in indice Rhod.*: nomen *R in textu.* *fort.* et superius. 30 item *ego*: idem *R.*

productas medicamento, quod supra positum est, tollit. Uvam nimis iacentem sine periculo per auriscalpium lana involutum perunctam ex parte, qua tollenda est, amputat. Oportebit autem postea aqua mulsea gargarizare et lentis atque rosae aridae aqua decoctae. Eadem res et palpebram pilosam remediat, si quis radices pilorum adversus naturam natas oblinierit, donec locus earum niger fiat. Recipit haec: Aeris floris p. X III, calcis vivae p. X VI, thapsiae radicis p. X VI, faeculae p. X III, nitri p. X II, auripigmenti p. X II, fellis taurini p. X VI. Teruntur ex cinere lixiva, qua culinarii utuntur, donec habeat mellis liquidi temperamentum. Reponitur puxide nigri plumbi. Haec puxis in ampliorem stagneam mittitur habentem cinerem lixivam usque ad operculum minoris. Oportet autem et hoc medicamentum colorare rubrica vel atramento. Huic medicamento si anatis sanguinis quasi duae ligulae adiunctae fuerint, minus mordebit.

CCXXXI. Quatenus acrium et exulcerantium medicamentorum habita est mentio, ponemus, qua stigmata tollantur. Indignis enim multis haec calamitas ex transverso accidit, ut dispensatori Sabini Calvisi naufragio in ergastulo deprehenso, quem Tryphon multis delusum et ne casu quidem ullo litteras confusas habentem medicamento liberavit: Alii candidi spicae capitis tritae cum cantharidibus viginti Alexandrinis — sunt autem variae et oblongae — sulphuris vivi p. X I et victoriati, chalcitis p. X I S, cerae pondo triens, olei pondo triens; ceram contritis ceteris admiscuit et inposuit.

4 mulsa *Stephanus*. 6 pilorum adversus naturam *scripsi*: adv. nat. pilorum *R*. 9 faeculae *Aldus*: ferulae *R*. 11 culinarii] coactiliarii *Rhod*. habeant *Stephanus*. 19 tollantur *Boettiger*: tolluntur *R*. 20 Indignis enim multis haec *Boettiger*: in dignis et in multis. Haec *R*. 21 Calvisi *Rhod.*: Calvi *R*. naufrago *Pignorius*. 23 ullo *ante* modicamento *colloc.* *R*, *transposuit* *C. Barthius*. medicamento habentem *R*, *transposuit* *idem*. 24 Allii *R*. 26 p. X I S *scripsi*: X p. as semis *R*. 27 contritis *ego*: cum tritis *R*.

CCXXXII. Intestinum extremum quibus prolabitur et excidit, quotiens prodierit, totiens vino calido vel verbenis vel cinere lixiva lavare oportet et reponere. Prodest et pice liquida perunguere et cedria, interdum vel Andronio perunguere et sic reponere. Facit et cinis ex sarmentis cribrata aspersa, alumen fissum tritum bene et eodem modo aspersum atque intestino reposito.

CCXXXIII. Ad testiculi tumorem cupressus bacae ex vino coctae conveniunt et faba quasi concha multo cum cumino cocta. Item uva passa cum cumino contusa in modum malagmatis melle quantum satis est admixto, item uva passa enucleata contusa ac mixta * eiusdem mensurae vel ponderis.

CCXXXIIII. Ad veretri tumorem lens ex aqua cocta et trita rosaceo oleo mixta prodest. Si maior tumor erit, mali granati corium ex aqua coctum et tritum lenticulae pari pondere admiscere oportet.

CCXXXV. Si ulcus sordidum erit aut cancer temptaverit aut iam occupaverit, Andronium ex vino bene facit. Si cicatrix ducenda . . .

CCXXXVI. Omne ulcus in omni parte corporis sordidum — id autem est, cum candicat et quasi crustam perductam albam habet — purgat vel per se iris arida contusa vel cum melle; eadem ratione et terrae mali et panacis radix purgat sordida ulcera.

CCXXXVII. Mirifice et hoc medicamentum purgat,

2 quotiens — totiens *M*: quoties — toties *R*. 3 lavari *R*, *corr. Rhod.* 4 vel] *an* et? 5 sic *M*: sicca *R*. 7 atque ita *Rhod.* 8 cupressi *M*. 9 et *M*: ex *R*. conchis *Rhod.* concicula *M*. 11 item *Rhod.*: idem *R*. 12 enucleata *Rhod.*: nucleata *R*. mixta] *lacunam statui*; *possis suspicari*: mixta cum coriandro *coll. Plin. nat. hist.* 23, 16: testium inflammationi cum farina cumini aut coriandri inponuntur uvae passae. 18 temptaverit — occupaverit *M*: tentarit — occuparit *Rhod.* tentavit — occupavit *R*. 19 Andronium *Rhod.*: Andronios *R*. 20 Si cicatrix] *Compositionem intercidisse censuit Ruellius; sed fortasse haec vocabula e lemmate orta delenda sunt.* 23 vel *Rhod.*: mel *R*.

etiam si cancer temptat; est autem lene: Auripigmenti, quod Graeci ἀρσενικὸν dicunt, p. 𐆖 VI, aeris squamae p. 𐆖 III, elaterii p. 𐆖 I, chartae conbustae cineris p. 𐆖 III. Cum opus est, coclearia tria rosae cyatho permiscentur, inde linteola carpta continguntur atque ita ulceri superponuntur. Hoc medicamentum cito et sine ullo morsu expurgat sordidissima ulcera.

CCXXXVIII. Omne purum ulcus et concavum replet basilice rosa diluta, ut superius dixi, proprie autem hoc medicamentum: Medullae vitulinae p. 𐆖 IIII, adipis anserini p. 𐆖 II, butyri p. 𐆖 II, medullae cervinae p. 𐆖 II, cerae p. 𐆖 IIII, terebinthinae p. 𐆖 II, mellis pondo sescuncia, rosae pondo sescuncia. Resina cum rosa liquescit, cui miscentur calenti mel et cera; cum cera praecalfacta in ferventi aqua contunduntur atque ita superioribus miscentur.

CCXXXVIIII. Omne ulcus luxurians et crescens carne compescit chalcitis per se trita vel aeris flos ustus. Bene autem et proprie hoc medicamentum facit, quo Meges utebatur: Calcis vivae p. 𐆖 II, turis p. 𐆖 I, aeris squamae p. 𐆖 I.

CCXL. Tryphon chirurgus carnem eminentem hoc medicamento compescebat: Aeris floris usti p. 𐆖 VI, chalcitis ustae p. 𐆖 IIII, misys usti p. 𐆖 IIII, aeris usti p. 𐆖 IIII. Hoc acre est et quasi cauterium crustam altam facit; quamobrem cancer non patitur inpositum serpere, omnem eruptionem sanguinis veluti cauterium sistit. Et hoc autem et quae diximus imminuit; cicatricem quoque ducit, si quis tincto extractoque specillo, quod ei quasi pulvis adhaeserit, exiguo oras ulceris tetigerit. Sed proprie cicatricem medicamenta haec ducunt:

CCXLI. Emplastrum efficax ad cicatricem ducendam: Spumae argenteae p. 𐆖 L, misy usti, chalcitis ustae, alu-

1 et iam *R.* lene *M*: leve *R.* 3 cineris *M*: cinis *R.* 9 superius] *c.* 210. proprie *Rhod.*: prope *R.* 12 mellis 𐆖 p. sescuncia, rosae 𐆖 p. sescuncia *R.* 14 cum cera] *an* tum cetera? 22 Triphon *R.* 24 mysis *R.* 33 mysii *R.*

minis fissi, cerussae, singulorum p. X IIII, resinae terebinthinae p. X XII, cerae p. X V. Cera et resina liquefiunt, deinde cum refrixerunt, raduntur; sicca et bene trita adiciuntur et commiscentur.

CCXLII. Emplastrum διὰ καδμίας Graeci dicunt, quod cicatricem ducit: Cadmiae pondo libra, chalcitidis ustae pondo libra. Haec teruntur ex vini Falerni heminis tribus, donec liquefacta mellis habeant spissitudinem. Postea fit ceratum ex cerae pondo quattuor, resinae frictae pondo quattuor, olei murtei pondo quattuor. Cum refrigeratum est, raditur et miscetur iis, quae in mortario sunt. Sunt qui liquefacta haec ipsa, dum calent, mortario superfundunt et ita subigunt.

CCXLIII. Ad papulas in capite effervescentes vel qualibet parte corporis totius porriginem: Staphis agria trita et nitrum decoctum tritum pari mensura, inmixto oleo et vino austero, ante desudationem corporis ac postea; item alumen liquidum ex aceto staphide agria adiecta. Ad epiphoram vero toto corpore effervescentem medicamentum prodest.

CCXLIIII. Ad ignem sacrum coriandrum per se tritum bene facit, est enim res virosa, vel cum pane; eodem modo et menta prodest et cinis de filice facta aqua conspersa oblinita. Item Cimolia creta suco solani diluta. Et per se solanum vel cum pane prodest.

CCXLV. Ad ignem sacrum bene facit hoc medicamentum: Rutae viridis pondo triens, spumae argenti pondo bes, aceti sextarius unus, olei viridis sextarius ⟨unus⟩. Cum aceti parte [in] spuma et ruta teruntur, donec levia fiant; postea quod superest aceti vicibus cum oleo adicitur.

CCXLVI. Facit et hoc medicamentum bene: Sulphuris vivi, opii, singulorum pondo semuncia, spumae argenteae

11 iis *scripsi*: his *R.* 15 porriginem *vocabulum quod in indice non est in suspicionem vocavit Rhod.* 16 inmixto *ego*: in mixto *R.* 20 *post* prodest *compositio intercidisse videtur.* 26 *Haec compositio in R capitulum superius antecedit; verum ordinem restituit Rhod.* 28 unus *addidi.* 29 in *om. M.*

pondo uncia passo miscentur. Item hoc satis prodest: Cerussae p. X VIII, aluminis fissi p. X III, turis p. X III, croci p. X II, sulphuris vivi p. X II. Teruntur haec solani suco; cum opus est, vino diluuntur.

CCXLVII. Ad zonam, quam Graeci ἕρπητα dicunt, faciunt quidem [ut] supra dicta omnia, praecipue cicuta viridis bene trita et inposita. Item hoc medicamentum: Cerussae p. X XXXVIII, aluminis fissi p. X XII, croci p. X I, turis p. X II, acaciae p. X VIII, diphrygis p. X II, opii p. X II. Ex aqua teritur et cum opus est, ex eadem dilutum perunguitur.

CCXLVIII. Ad idem melius facit: Gallae, aluminis rotundi, chalcitidis, cretae sutoriae, singulorum p. X II, misyis, corticis malorum, acaciae, singulorum p. X IIII, calcis vivae p. X XVI. Mali cortex in aceti sextario uno decoquitur, donec madida fiat, deinde teritur; acacia aceto eodem macerata nocte et die admiscetur et una teritur. Postea cetera adiciuntur et fiunt pastilli; cum opus est, diluuntur aqua.

Ad utrumque autem genus vitii mirifice medicamentum Andronium facit.

CCXLVIIII. Ad impetigines uva taminia, quae sic dicitur, bene facit; est autem ruberrima et in vepribus nascitur. Qua fricari oportet impetiginem, quoad curetur et non appareat; hoc autem diebus fit paucis. Bene facit huius radicis recentis sucus ad sugillationes et livores perunctus.

CCL. Scabiem tollit sulphur nigrum oleo mixtum communi atque in cerati spissitudinem redactum. Hoc etiam lepram et quam elephantiam dicunt sanat et omnia quae effervescunt per se, cum inveteraverint.

CCLI. Ad scabiem halica ex aceto macerata et trita bene facit exiguo ture adiecto. Item picis liquidae libra,

6 ut *delev. Rhod.* 11 perungitur *Stephanus*: perungetur *R.* 14 mysus *R.* 21 Andronicum *R.* 22 taminia *Turnebus*: aminea *R.*

cerae pondo semis, sulphuris vivi pondo sextans, aluminis fissi p. 𐆖 I.

CCLII. Bene facit olivae Aethiopicae commi, quod Graeci ἐλαίας Αἰθιοπικῆς δάκρυον vocant, aceto dilutum. Item salicis libri ex aceto cocti atque ita triti et inpositi tollunt scabiem. Facit et eiusdem cinis ex aceto ad scabiem. Prodest et farina hordeacia cocta ex posca, si tenerum corpus erit, vel ex aceto, si durum, per dies quattuor aut quinque; deinde ceratum ex rosa adiecta cerussa inponere oportet, donec cicatrix ducatur.

CCLIII. Facit bene et haec conpositio: Turis masculi pondo triens, sulphuris pondo uncia, ceparum pondo sextans, rumicis erraticae radicis aceto quoque tritae pondo — I. Omnia teruntur, miscetur aceti quod satis erit, id est dum mellis crassi habeat spissitudinem. Cum opus est, scabiei locus nitro ex aceto fricatur diutius et pressius, deinde hoc medicamentum superlinitur.

CCLIIII. Alia conpositio ad idem: Scamoniae p. 𐆖 III, murrae p. 𐆖 I, aeris floris p. 𐆖 I, astulae regiae, quam ἀσφόδελον Graeci dicunt, radicis p. 𐆖 II, glutinis taurini p. 𐆖 II, nitri p. 𐆖 I et victoriati. Teruntur omnia aceto praeter gluten: hoc enim pridie maceratum ceteris iam tritis miscetur. Cum opus autem est, ante nitro et aceto locus exasperatur, deinde hoc oblinitur.

Ut consummetur liber, malagmata et acopa adiciemus.

CCLV. Malagma ad ὀπισθότονον, id est cum cervix reflexa est in posteriorem partem aut rigida cum intensione oculorum et maxillarum. Facit et ad κυνικὸν σπασμόν, cum in utramlibet partem depravata est facies; item ad omnem tensionem et contractionem nervorum et ligationem, ἀγκύλην quod Graeci vocant; item ad dolorem omnis partis quamvis veterem: Bdellii p. 𐆖 XVI, opopanacis p. 𐆖 VIII, galbani p. 𐆖 VIII, adipis vitulini p. 𐆖

4 graece *R.* 7 ordeacea *R.* 13 radicis *scripsi*: radices *R.* 14 aceti *scripsi*: aceto *R.* 16 locus *huc transposuit Rhod., post* aceto *colloc. R.* 29 item *ego*: idem *R.*

XVI, piperis grana numero CLX, ammoniaci guttae p. X VIII, cachryos p. X VIII, iris p. X XVI, cerae p. X LV, terebinthinae p. X L. Arida quae sunt contunduntur, cribrantur; sucum habentia cum resina subinde admixta contunduntur; cera in frusta concisa aqua ferventi demittitur et subacta manibus miscetur ceteris in pilam. Oportet autem pilum ligneum frequenter cypreo oleo perunguere. Hoc malagma cypreo oleo liquefactum acopi usum praestat.

CCLVI. Malagma alterum stomachum, alvum, intestina soluta habentibus et cholericis prodest; confirmat omnem partem et adstringit, quod haec desiderat: Aluminis fissi p. X VI, rhus Syriaci p. X VI, gallae p. X VI, acaciae p. X VI, cerae p. X XL, picis Spanae p. X XL, olei melini aut rosae pondo trientem. Acacia vino exiguo macerata teritur, cera et pix oleo alterutro mixta infervescunt; quibus temperatis adiciuntur cribrata sicca; iis acacia miscetur atque in unum omnia subiguntur.

CCLVII. Malagma ⟨ad⟩ pectoris et lateris dolorem et quidquid ex perfrictione est, bene ⟨enim⟩ calfacit; idem ad omnem dolorem prodest: Samsuci contusi sextarius unus, iris contusae sextarii XV, cyperi contusi sextarius unus, resinae terebinthinae pondo bes, cerae pondo quadrans, olei cyprei pondo selibra, vini Aminei sextarius unus. In vino arida contusa macerantur una nocte et die; oleo cera et resina liquefiunt; deinde superfunduntur vino, miscentur manibus. Hoc medicamentum efficacius est secundo, post dies triginta efficacius prodest: initio enim humidum valde est et vix inlitum remanet.

CCLVIII. Malagma ad omnem dolorem, praecipue

5 confundantur *Rhod.* demittitur *scripsi*: dimittitur *R.* 10 alterum quod *Stephanus.* 12 quod *Stephanus*: quae *R.* 13 rus *R.* 16 cera *Aldus*: caetera *R.* 19 ad *addidi e M.* 20 enim *addidi e M.* 21 samsuci *L*: sansuci *R.* 24 cyprei *Rhod.*: cyprini *M* cyperi *R.* aminei *Rhod.* aminiaei *R* amminei *L.* 27 *verba* efficacius est secundo *a M omissa delenda videntur.* 29 inlitum vix *Rhod.*

iocineris: Spicae nardi p. 𐆖 V, Celticae, id est saliuncae p. 𐆖 X, iris p. 𐆖 VIII, meliloti, quod a nobis sertula Campana dicitur, p. 𐆖 XXV, cyperi p. 𐆖 VIII, ammoniaci thymiamatis p. 𐆖 VIII, cardamomi p. 𐆖 VII, croci p. 𐆖 II, vini Falerni sextarius unus. In hoc omnia supra scripta contusa uno die et nocte macerantur praeter ammoniacum: hoc enim aceto diluere oportet et quasi ceratum facere; postea cerae pondo dua et bes, resinae frictae pondo quattuor, rosae pondo libra liquefiunt et refrigerata atque rasa ceteris miscentur. Hoc et ad praecordiorum tensionem bene facit et ⟨ad⟩ vesicae dolorem.

CCLVIIII. Malagma ad lienosos et ad iocineris dolorem: Ammoniaci guttae pondo I, cerae pondo I et sextans. Ammoniacum ex aceto teritur admixto crocomagmate, quantum colorare possit ammoniacum, quod teritur, usque dum leve factum mellis crassi habeat spissitudinem. Postea cera liquefacta rosa adicitur mortario et bene pistillo mixta manibus utraque subiguntur. Facit hoc malagma ad luxum et ad capitis dolorem fronti superpositum.

CCLX. Malagma ad praecordiorum tensionem, ventris, stomachi duritiem cum dolore; idem ad iecur et lienem prodest: Cerae p. 𐆖 L, ammoniaci guttae p. 𐆖 L, iris p. 𐆖 XXV, panacis p. 𐆖 XX, anesi p. 𐆖 XXV, nitri p. 𐆖 XXV, adipis taurini p. 𐆖 XXV, faeni graeci seminis p. 𐆖 XXV, resinae terebinthinae p. 𐆖 L, aceti acris sextarius unus, mellis pondo triens. Mel aceto diluendum est atque arida omnia his maceranda die ac nocte; ceram, terebinthinam, adipem liquefactam in unum ceteris miscere oportet et manibus subigere.

CCLXI. Malagma ad lienosos: Myrobalani p. 𐆖 L, aphronitri p. 𐆖 XXX, capparis radicis p. 𐆖 XX, cardamomi p. 𐆖 XXV, ammoniaci guttae p. 𐆖 XXX, cerae pondo selibra, irini olei pondo selibra. Cera irino solvitur, quibus

2 melliloti *R*. 8 et bes *ego*: bes et *R*. 9 liquefiunt *M*: levia sunt *R*. 10 atque rasa *M*: quae rosae et *R*. 11 ad *add. M*. 13 et sextans] rosae pondo I *M*. 17 pistillo *M*: pastillo *R*. 21 item *Aldus*. 23 opopanacis *M*. 24 faenograeci *L*.

ammoniacum aceto dilutum miscetur et postea arida quae sunt commiscentur.

CCLXII. Malagma ad omnem dolorem veterem ex qualibet causa factum, praecipue ad lumborum dolorem, qui ante leniter scarifiant. Recipit haec: Bdellii pondo trientem, styracis pondo trientem, hysopi pondo trientem, ammoniaci pondo trientem, piperis albi pondo trientem, turis pondo trientem, bacae lauri aridae pondo dua, terebinthinae pondo trientem, opopanacis pondo trientem, adipis taurini pondo trientem, medullae cervinae pondo trientem, propolis pondo selibram, olei veteris pondo libram, cerae pondo duo, turis pollinis pondo libram. Oleum, cera, resina, propolis liquefiunt, deinde turis pollinis pondus superius dictum adicitur et cetera minutatim vel in unum contusa; opopanacem oleo diluere oportet.

CCLXIII. Malagma quod discutit strumas, parotidas, panum, quod Graeci φύγεθλον vocant; idem omnem futuram suppurationem dissipat, factam aperit; facit et ad dolorem articulamentorum vel cuiuslibet partis, praecipue ad lumborum dolorem atque inflationem stomachi vel coli: Picis Hispanae, aphronitri, resinae pituinae, cerae, laurus bacarum, singulorum p. Ӿ XXXV, adipis taurini p. Ӿ XV, ammoniaci guttae p. Ӿ ⟨XV⟩, iris Illyricae p. Ӿ XV, galbani p. Ӿ XII, piperis albi p. Ӿ XV. Quae debent liquefieri, solvuntur igne et oleo; cetera contusa temperatis asperguntur, ultimo loco tepente medicamento laurus bacae miscentur.

CCLXIIII. Malagma ad omnem dolorem corporis, ⟨praecipue⟩ articulamentorum, facit et ad podagram; idem discutit vomicas aut aperit, praecipue in pectore et interaneis; prodest et lumborum doloribus: Cerae p. Ӿ VIII, ammoniaci p. Ӿ X, bdellii p. Ӿ X, iris p. Ӿ VI, galbani

3 ex *M*: et *R*. 5 *verba* qui ante leniter scarifiant *om. M*, *ab interprete addita esse censet Rhod.* 6 hysopi *RL*: oesypi *Cornarius.* 13 pondus *M*: pondo *R*. 21 lauri *M*. 23 XV *addidi ex M*. 29 praecipue *addidi ex M*. articulamentorum *M et R in indice*: articulorum *R in textu*.

p. X III, terebinthinae p. X V. Contunduntur ordine, quo scripta sunt, pilo ligneo cyprino oleo, quod in imo subsidit, peruncto; cera in aquam ferventem in minimas partes concisa demittitur et subacta manibus in pilam conicitur.

CCLXV. Malagma item ad contusionem lateris; idem facit ad suspectas vomicas aut iam factas; praeterea ad iecinoris, praecordiorum duritiam vel dolorem bene facit. Proderit et in omni loco dolenti inpositum: Cyperi, ammoniaci guttae, cardamomi, bdellii, turis, resinae terebinthinae, singulorum pondo bes. Tus et bdellium macerantur pridie vini hemina una, cetera contunduntur; cerae pondo libra et triens et olei cyprini sextarius unus cum terebinthina liquefiunt ceterisque commiscentur. Quidam adiciunt murrae pondo sextantem, croci pondo sextantem, cinnamomi pondo sextantem.

CCLXVI. Malagma ad luxum, contusum, canis morsum, parotidas, strumas, podagram: Cerae pondo dua, resinae frictae pondo dua, picis Hispanae pondo tria, ammoniaci pondo libram, turis pollinis pondo semis, galbani pondo semis, aceti sextarios duos. Ammoniacum tritum cum aceto solvitur igne; deinde resina, cera, pix adicitur et coquitur, usque dum spissetur; postea tus admiscetur. Ubi emplastri habuerit temperamentum, medicamento tepente galbanum adicitur.

CCLXVII. Malagma ad podagram et omnem dolorem et tensionem nervorum recipit haec: Ammoniaci guttae pondo I, cerae pondo I, axungiae veteris selibram, olei veteris pondo trientem, olei cedrini pondo unciam, rosae

2 imo *M*: vino *R*. 4 demittitur *scripsi*: dimittitur *R*. 6 item *om. M et R in indice.* 8 iocineris *M*. 9 et in] etiam *M*, *fortasse recte.* 12 cerae *scripsi*: cera *R*. 15 pondo sextantem *Rhod.*: partem *R*. pondo *Rhod.*: partem *R*; *item paulo infra.* 18 duo *Aldus*, *item infra.* 20 libra *Rhod.* 21 sextarii duo *Rhod.* 22 pix *ego*: pondo novem *R scriptura archetypi* PIX *parum intellecta.* 24 medicamento tepente galbanum *scripsi*: medicamentum tepenti galbano adicitur *R*.

pondo sextantem, cyprini pondo sextantem, croci pondo sextantem, Assii lapidis pondo unciam, murrae pondo unciam, aphronitri pondo semunciam. Patella nova liquefit axungia, cera cum oleo vetere; quibus adicitur ammoniacum tritum et movetur, usque dum solvatur; postea oleum cyprinum, rosa et cedria in unum miscentur et tunc subducitur flamma, ne effervescat medicamentum. Secundum quae adicitur crocum tritum ex aceto, deinde murra trita per se aspergitur, ultimum nitrum et Assius lapis; phoenicio inducitur.

CCLXVIII. Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, tensionem nervorum; idem hieme non patitur perfrigescere artus; hoc Augusta utebatur: Samsuci floris sextarium unum, faeni graeci sextarium unum, rosmarini foliorum sextarium unum, vini Falerni congium, olei Venafri sextarios quinque. Praeter oleum omnia in vino triduo macerare oportebit, quarto die oleum adicere et coquere in pruna non acri medicamentum, donec vinum consumatur, postea percolare per linteum duplex oleoque adhuc calenti cerae Ponticae bessem miscere. Reponitur medicamentum fictili vel stagneo vase.

CCLXVIIII. Acopum quod per vindemiam conponitur, antequam mustum defervescit: Musti recentis congii quinque et olei Venafri pondo quinquaginta, in his macerantur res, quae infra scriptae sunt, contusae et percribratae grandioribus foraminibus cribri: Iris Illyricae p. X̶ XL, cyperi p. X̶ XL, faeni graeci p. X̶ XL, piperis nigri p. X̶ XL, xylobalsami p. X̶ XL, calami odorati, quo unguentarii utuntur, p. X̶ LXXX, spathae, qua unguentarii utuntur,

2 Assii *M*: Asii *R*. 7 effervescat *M*: fervescat *R*. 9 Asius *R*. foenicio *R*. 14 roris marini *M*. 15 Venafri *ego*: venafrani *M* veri afri *R*. 16 in vino *M*: in unum *R*. 19 percolare *M*: recolare *R*. oleoque *M*: oleum cui *R*. 23 defervescat *M*. 24 Venafri *scripsi*: venafrani *M* veri afri *R*. in his *M*: in hoc *R* *ante* et olei *collocatum*. 27 piperis nigri pondo quadraginta *R* p. n. p. X̶ quadraginta *Stephanus*.

p. X LXXX, schoeni p. X LXXX, saliuncae p. X LXXX, casiae nigrae p. X XXIIII, cardamomi p. X XXVIII, styracis p. X XXVIII, costi p. X XXVIII, murrae Amineae p. X XXII, casiae daphnitidis p. X XXIIII, sertulae Campanae p. X XIII, aspalathi p. X XL. Haec cum musto et oleo macerantur vase stagneo aut fictili per dies triginta. Oportet autem vas bene clausum et alligatum die bis solvere et miscere omnia, deinde rursus operire et signare, ne vires evanescant; post dies triginta colantur macerata, deinde oleum purum excipitur, quod reponitur fictili vaso. Cuius oleaminis vires ad omnem contractionem nervorum tantae sunt, ut sit vix credibile.

CCLXX. Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, nervorum dolorem, gravioris odoris — superiora enim boni sunt odoris —: Ammoniaci guttae p. X XV, galbani p. X IIII, resinae terebinthinae p. X LVI, cerae p. X XXVIII, mellis pondo triens, olei veteris sextarius unus, oesypi pondo uncia, medullae cervinae pondo uncia, opopanacis p. X VI. Sunt qui hunc non adiciunt. Ceram, oleum, terebinthinam liquefacere oportet, deinde cetera adicere, novissimum ammoniacum tritum curiose. Hoc qui perunctus erit, etiam a serpente tutus erit.

CCLXXI. Acopum, quo fere Augusta et Antonia usae sunt, facit ad perfrictiones et nervorum dolorem. Idem perunctum non patitur perfrigescere artus et refrigeratos calfacit. Conponitur hieme hoc modo: Sumere oportet adipis porcinae sterilis trepondo vel anseris adipis idem pondus, deinde aqua frigida bene lavare atque in novo vase adicere vini veteris congium unum aut sextarios tres

7 die bis *scripsi*: bis in die *M* diebus his *R*. 8 et miscere *scripsi*: invisere *R* et permisceri *M*. 9 colantur *M*: coniciuntur *R*. 10 excipitur *M*: excipietur *R*. 14 superiora *ego*: superiores *R* res enim superiores *Rhod*. 17 pondo triens *ego*: p. X triens *R*. oesypi *M*: hyssopi *R*. 19 *an* adiciant? 22 fuerit *M*. 27 de porca sterili *M*; *sed cf. Alex. Trall. lat.* II, 105: sterilis caro porcina. 28 ponderis *M*.

⟨et res⟩ non nimis contusas ponderis huius: Xylocinnami pondo quadrantem, cardamomi pondo quadrantem, cyperi pondo quadrantem, schoeni pondo quadrantem, rosae aridae foliorum pondo unciam, sertulae Campanae coronas decem. Haec omnia infervescunt super carbones, deinde refrigerata eodem caccabo reponuntur posteroque die iterum infervefiunt reconduntur que eodem modo, tertio die rursus recalfiunt et colantur per linteum vel ex iunco factum de industria colum. Vinum atque adeps quae superest in novo vaso conicitur; deinde cum gelaverit se adeps, oportebit fundum caccabi perforare et vinum omne emittere atque in priorem caccabum adipem eandem conicere et vini eiusdem recentis eandem mensuram adicere resque non nimis contusas nec cribratas ⟨has⟩: Nardi Syriaci spicae pondo sextantem, saliuncae pondo sextantem, amomi pondo quadrantem, casiae pondo quadrantem, murrae pondo trientem, cinnami pondo trientem, rosae aridae foliorum pondo sextantem. Deinde semel mane et in nocte semel infervefacere oportet, item et postero die; cum infervefacta fuerint, percolanda erunt in caccabum priorem pertusum, sed ante diligenter et spisse obturatum atque ubi se congelaverit adeps, extrahendum erit spissamentum ⟨ut vinum omne effluere possit⟩. Quod cum defluxerit, quod superest adipis vase stagneo uno vel pluribus diligenter operto et adplumbato reponitur.

Harum conpositionum, si qua fides est, ipse conposui plurimas et ad ea, quae scripta sunt, facientis scio; paucas, sed valde paucas ab amicis, quibus aeque ac mihi

1 et res *addidi* et species *M.* contusas *ego*: contusa *R.* 6 refrigerata *M*: perfrigerata *R.* posteroque die iterum infervefiunt reconduntur que eodem modo, tertio die *M*: posteroque et tertio die quum infervefiunt reconduntur quae eodem modo tertio die *R.* 14 has *om. R*, *addidi e M.* 17 cinnami *M*: cumani *R.* 19 et *M*: in *R.* 21 pertusum *M*: perfusum *R.* 23 ut vinum omne effluere possit. Quod cum defluxerit *M*: quod quum vinum omne fluxerit *R.* 24 adipis *scripsi*: adice *R.* 25 opertis et adplumbatis *M.* 27 facientis *ego*: facientes *Rhod.* facienti *R.*

credo, acceptas adieci, quas cum iureiurando adfirmaverunt sese ipsos expertos esse et bene facientes scire ad vitia, quae scripta sunt. Illud autem te meminisse oportet, mi Calliste, quod initio dixi, eadem medicamenta in iisdem vitiis interim melius deteriusve respondere propter corporum varietatem differentiamque aetatum, temporum aut locorum. Eaedem enim res in dissimiliter dispositis corporibus non possunt eosdem effectus exhibere; sed adfirmo ex magna parte prosperos eventus, si quando opus fuerit, has conpositiones habituras.

2 et *Rhod.*: ut *R.* 5 interdum *M.* 7 in *Rhod.*: non *R.*

Index nominum propriorum.

Index rerum, praecipue earum, ex quibus compositiones constant.

b

t

Index vocabulorum Graecorum.

Erratum.

p. 62, 11 *leg.* CXLVIII *pro* CXVIII.